EIRENICVM

DE

PACE ECCLESIÆ CATHOLICÆ

Inter Christianos, quamuis diuersos sententiis, religiosè procuranda, colenda, atque continenda:

In Psalmos Dauidis CXXII & CXXXIII

Meditatio

FRANCISCI IVNII.

LVGDVNI BATAVORVM,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Franciscum Raphelengium.
CIↃ. IↃ. XCIII.

ENCHIRIDION

DE

PACE ECCLESIAE

CATHOLICAE

AUCTORE

FRANCISCO LYSIO.

Illustrissimo Principi,

Domino potentissimo,

D. MAVRICIO,

LANDGRAVIO HASSIÆ,
Comiti in Catzenelbogen, Dietz,
Zigenheim, & Nidda, &c.

Domino clementissimo, gratiam & pacem à DEO *Patre & Domino* IESV CHRISTO.

ACERBISSIMVM *quidem, Princeps Illustrissime, luctum intulit Deus familiæ vestræ, quum Illustrissimum Principem parentem tuum ex hac misera cõmoratione ad se in stationem beatam euocauit. Quem luctum eo acerbiorem T.C. scio accidisse, quòd eo semper optimo parente & duce fide-*

fideliſſimo vſus ſis ad totam rationem vitæ & ſtudiorum tuorum inſtitutum. Quòd ſi triſtis ille & funeſtus caſus aut ſolus exſtitiſſet, aut ſolam T. C. affeciſſet, æquiore animo fuiſſes laturus ipſe, & minus ſenſura Germania tota: de cuius pace & tranquillitate ſemper quàm fideliſſimè optimus ille parens laborauit. At quàm multa funera in Germania vidimus anno vno! quàm multis caſibus fuit Germania de ira Dei minante, & terrores & plagas & mala grauiſſima denunciante certior facta à Domino! Intus funera, foris bella vtrimque in fines indigniſſimè & atrociſſimè irrumpentia: quæ T. C. (ſcio) afficiunt vehementiùs quàm vel domeſtica hæc calamitas. Etſi in domeſtica hac calamitate id eſt incommodi, quòd dum Germaniæ commune ex malis tantis laborat, eodem tempore illa ſubſidio, immò præſidio pacis & tranquillitatis firmiſſimo, parente tuo, orbata eſt.

Quid

Quid dicam, nisi iram Dei exardescere? minari ferulam? ad veram pacem cum Deo, cum Ecclesia, cum fratribus Germaniam totam reuocare! Nam grauia quidem illa, adeoque grauissima. Sed video (proh dolor) malum Germaniam exedens longè grauissimum: Scindi Germaniam non tam per hostes exteros, mundo, carni, ambitioni, & tyrannidi iniustissimæ seruientes, quàm per eos ipsos Germaniæ partus & alumnos, qui ex naturæ conscientia pacem corporis vt membra, ex gratiæ conscientia pacem Ecclesiæ vt filij pacis procurare debent. Video eos ipsos quos receptui canere quam religiosissimè oporteret, administros pacis euangelizaturos pacem in Domino, eos ipsos inquam bellicum canere quam ardentissimè, & primos in ordines Ecclesiæ, ordines pacis, contrà quàm Deus pacis mandauit, cõtentione summa incurrere. Quid? nonne vident discidia nostra esse amico-

rum dispendia, hostium compendia (vt cum Hieronymo dicam) & publica iræ diuinæ incendia? Misereatur Dominus: me quidem miseret secundum Dominum: & quamuis iam absentem à Germaniæ solo per voluntatem Dei, tamen vt præsentem animo grauiter afficit istorum malorum, quæ video & præuideo, cogitatio. Atque bis quidem malis prouisurum confido Deum, & prouisuros pios Principes amantes pacis publicæ & suæ, amantes pietatis, amantes patriæ. Sed quia tu, Maurici Illustrissime, non postremus es in eorum numero, qui studio meditantur pacem, officio procurant, & exemplis (quibus abundas domi ab auo, à parente tuo) incitantur: non potui quin & Germaniæ communi vestræ & T. C. animum meum constantem & studiosum vestræ pacis vobis exponerem à discessu meo. Scripsi de pace documenta communia, quæ in mente sunt, in ore omnium;

sed

ſed non ſunt aut compárent vſquam in opere. Nam eo ipſo quòd communia ſunt, negliguntur, teruntur pedibus: curant ſinguli ſingularia & particularia, vt vocant. Latinè ſcripſi, vt Germaniæ veſtra áliqua ſaltem τεχνεῖα renumerem, qui annos amplius XXV. in ea vixerim. Optimo animo cupiui ἀντιπελαργεῖν. Hæc cauſa me adduxit vt hoc opuſculum, qualecunque eſt, T. C. inſcriberem, & per manus eius offerrem Germaniæ tuæ. T. C. oro vt hoc meum officium ſibi exhibitum in bonam partem accipiat, ſtudiumque interpretetur bene: Deum verò opt. max. auctorem pacis & charitatis veræ, vt benedicens precibus & labori meo, Eccleſiam ſuam Germaniamque ipſam veſtram ſtabiliat in pace & ſanctimonia, & omnium animos, procerum ac populariũ, in primis T. C. regat in conſiliis, atque ad pacem dirigat conſtantiſſimè,

tissimè, vt instrumentum pacis sanctificatum à Domino ad gloriam ipsius, Ecclesiæ & Reipub. vtile futurum ac salutare quàm diutissimè.

T.C. studiosissimus

Franciscus Junius.

EIRE-

EIRENICI

PARS PRIMA.

NATVRALE ſtudium eſt omnium vt fruantur bono; & ad fructum boni conſequendum depellunt à ſe contraria naturæ luce, quibus oppugnatur bonum. Hunc autem appetitum, qui rebus omnibus naturalis eſt, multa inſuper accidẽtia ſolent acuere; inprimis autem moleſtæ malorum infeſtantiũ moles & fluctus procellarum: qui quo grauius impendent atque exagitant, eo plus animi humani premuntur ſollicitudine. Ac ſollicitudo quidem de proprio & ſingulari bono ita eſt ſingulis indita, vt moneri quemquam non ſit opus de bonis ſingularibus & priuatis cõmodis perſequendis, aut propulſandis incommodis. Sed cùm à natura ita ſit comparãtum, vt ſingula quæque ad vnum aliquod commune bonum referantur, homines verò ſupra res creatas cæteras per ſingularem Dei gratiam luce rationis, & quàm plurimis ad bonum adiumentis inſtructi ſint: quod indignum aliis rebus exiſtimãt, eas à bono cõmuni diſcedere, id multo amplius de ſe ipſi debent ſtatuere: qui & bono proprio inſtructi, & ad commune documentis tam multis prouocati,

tam fugiunt quàm qui maximè ſuauiſſimum illum fructum communis boni,& in publicum malum velut coniurati ruunt pertinaciſſimè.

Etſi quid de bono illo naturæ ponendo ante oculos omnium,aut de malitia hominum dicamus multis,commune bonum,quod nātūra exhibet,oppugnante? Eſt bonum longè præſtabilius, ſummum bonum, optimum bonum in Deo poſitum, & ab eodem expoſitum, velut principio omnis boni, cum in natura, tum ſupra naturam rerum creatarum omnium: ad cuius boni conſcientiam, exſpectationē, & apprehenſionem à Deo regignimur, inſtituimur, prouocamur, ducimur, trahimurq. vi quadam ſalutari, & incredibili miſericordia: & quò Deus impium hunc mundum prouocat, ſuos tranſmiſſurus ad participationē ſupernaturalis ſuæ & diuinæ gloriæ. Huius tanti boni fontem ſe exponit Deus, plenitudinem in Chriſto exhibet,riuos in mundo ſtatuit, aquas ſalutares in eccleſia diſtribuit ſuis, omnes denique in communionem ſanctorum omnibus modis ſalutaribus prouocat,ad ipſius æterna bona æternùm percipienda in Chriſto Ieſu, & hîc etiam in terris, dum peregrè abſumus à Domino, in vnitate corporis & ſpiritus vnā fide per vinculum pacis deguſtanda.

Hîc verò quid dicturi ſumus, cùm miſerabilem iſtam funeſtiſſimamq. mundi ruentis conſtitutionem animaduertimus? ſimul videmus,

ſimul

116

simul horremus: & iusto dolore, si quidem verè Christiani sumus, in isto Christianitatis funere ac busto contabescimus. O si quis daret *Ierem.9.* caput meum esse aquas, & oculum meum scaturiginem lacrymarum, vt deflerem interdiu & noctu tot funestos casus mundi & cruentissima ecclesiæ vulnera, intus, foris, à domesticis, ab exteris indignissimè imposita! O si quis poneret me in deserto, in deuersorio viatorum, vt derelinquerem populũ istum rebellem, & abirem ab eo migraturus ad dominum meum, Deum veritatis quæ exulat, & Deum pacis quæ à filiis pacis oppugnatur! Libet enim, adeoque iustissimus dolor cogit me erumpere in illa Ieremiæ Prophetæ verba: quibus funestum gentis suæ, ac potiùs priscæ illius ecclesiæ statum deplorabat. Nam si hæc tempora cum illis comparem, omnino statuo illa vetera, vtcumq. fuerint misera, ab his nostris omni malorum genere, vt cùm máximè, superari: Quibus neque ad summum illud & vnicum verè bonum communi studio aut zelo priuato contenditur, neque via certa ad illud pertinente insistitur, neque pietatis ratio ante mundi peruersi oculos versatur, neque inclinatio ad iustitiam vllam, neq. amor veritatis ad omnia hæc consequenda tenendaque perneccessariæ, neque prudentiæ modus ad publicum priuatumque bonum in pace & sanctimonia promouendum: Sed contrà (vt verbis prophetæ vtamur) omnes omnino cor- *Psal.14.*

rumpunt

rumpunt vias ſuas, in mente ipſorum impietatem colunt, & abominandas actiones animo perpetrant, reipſa non eſt qui faciat bonum ſibi ipſi, nedum fratri & conſeruo ſuo.

In hac tanta ſtrage ruinâque miſerabili orbis Chriſtiani, quem ſua ipſius membra, tum aduerſus ſeipſa, tum verò inter ſe pugnãtia, præſertim religionis & pietatis nomine, lacerant indigniſſimè, & porrò peſſumdatura ſunt, niſi ſalutaris è cælo manus Dei fecerit medicinam: Quid agerem, niſi vt oculos meos in cælum attollerem ad Deum ſalutis noſtræ, & illa arma militiæ noſtræ ſpiritalia cælitus emiſſa corriperem, vt in Dei nomine (cui ſeruio, & Eccleſiæ catholicæ eius ſecundum ipſum) fratres meos, & membra Chriſti, tã quæ vocata ſancta, quàm quæ vocanda per Dei gratiam, ſermone & exemplo (ſi quid exemplo poſſum) ad pacem vnitatemque ſpiritus reuocem, in vnitate corporis illius quod Deus redemit ſanguine ſuo?

Quam ad rem primùm Deum omnipotentem oro ſupplex, Patrem domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis cognatio nominatur in cælo & terra, Deum veritatis & pacis, vt abiectâ ratione peccatorum tot & tantorum, quibus majeſtatẽ ipſius & alij alios plus ſatis offendimus, veritatem ſuam demonſtret errantibus, & veram pacem intus & foris ſtabiliat, quâ alij alios ferre, & omnes ad Deum contendere vno animo poſſimus in Chriſto Ieſu redemptore &

117

seruatore nostro. Deinde verò fratres omnes meos, fratres (inquam) & vniuersali naturæ lege, & communi vocatione gratiæ, & singulari spiritus communicatione, rogatos volo quàm diligentissimè per summas illas Dei miserationes, quæ nobis perituris affulserunt, & adhuc nos circumfulgent in malis nostris (proh dolor) pereuntes: si qua est consolatio in Christo, *Philip. 2.* si quod solatium charitatis, si qua cõmunio spiritus, si quæ viscera ac miserationes, vt de explendo sanctorum gaudio mecum laborent diligentissimè; vt itidem sint affecti, eandem charitatem habentes, vnanimes & sententiis vni; nihil gerentes per cõtentionem aut per inanem gloriam, sed ex modestia alij alios sibi præstare existimantes, quisq. non sua spectent, sed etiam quæ sunt aliorum: Denique is sit affectus in nobis omnibus qui in Christo Iesu, velut capite & summo exemplari nostro. Postremò autem, quia de hoc ipso argumento, dum omnia inter Christianos miserè clamoribus & vociferationibus impotentissimis personant, artibus euertuntur, & cruentantur cædibus, constitui secundũ Deum ex sanctissimo ipsius verbo aliquid pronunciare, quod secundum veritatem & charitatẽ (quam omnibus imperauit Deus) ad vtilitatem publicam iudico pertinere: Peto ab omnibus & singulis quàm possum amantissimè, ne quid aut de me homine abiectissimo, aut de scripto hoc instituto meo præiudicati

con-

concipiant in animis ſuis, tanquam ſi in harum aut illarum partium (quibus hodie Chriſtianus orbis miſerè ſcinditur) odium, inuidiam, aut notam qualemcumq. ſim allaturus, aut de me ipſe magnificè ſuprà quàm decet aut oportet ſentiam, aut meam operã præfidenter aliorum, quos amo, colo, veneror que, operæ anteponam: ſed potiùs ſic de me ſtatuant, me omiſſa cauſarum, rerum, & actionum ſingularium, quæ in hoc tempore diſcutiuntur, ratione, citra præiudicatum vllius hominis, ex ſola veritatis diuinæ cõtemplatione, de pace Chriſtianorum, quæ communia ſunt (hinc enim traducimur particularibus ſtudiis & occaſionibus) dicturũ eſſe: qui de me ſic ſentiam, nõ ſolùm aliorum peccata, ſed mea quoque ipſius in Deum grauiſſima his lamentabilibus Chriſtianitatis diſcidiis caſtigari: qui denique de meâ operâ non aliud prædicem, quàm quòd ſit tenuiſſima, & à fine propoſito abſit quam longiſſimè, ſed tamen à Deo ſit, qui etiam tenues operarios & infirmos cũ valentioribus occupat in domo ſua extruenda, ad ſanctorum coagmentationem & ædificationem corporis Chriſti. Deus nouit, cui ſeruio in ſpiritu mentis meæ, quantum incendium (vt ita dicam) in præcordiis & animo meo ſentiam hac triſti facie Chriſtianitatis excitari: quantum me horum & illorum ſimul miſereat, qui religionem imprudentes oppugnant religionis ſtudio, naturam auctoritate naturæ, & Deum ipſum

ipſum diuinæ auctoritatis ſpecie ipſorum oculos, dum ad ſe ipſi non ſatis attendunt, præſtinguente. Quod ſi meam hanc opellam, cuius ſtudium in me concitauit Deus, ille pater miſerationum & omnis conſolationis auctor ſua benedictionis manu direxerit, vt & veritatem in ſe habeat, & omnibus præbeat, & bonis ſaltem aliquot teſtatam faciat veritatem hoc officio meo, maximum mihi operæ precium feciſſe videbor per benedictionem illius.

Hanc autem ſcriptionem meam ita certum eſt temperare, vt à Deo omnia, à me nihil (cuius quidem conſcius eſſe poſſim) in medium afferam. Quapropter materiam totius ſermonis ex Dei verbo depromptus ſum, ne à forma veritatis illius quã Deus expreſſit verbo, temerè abſcedam: Tractationem verò diuinæ huius materiæ atque argumenti iuſto ordini, quoad eius fieri poterit, conformatam pertexam breuiter, dilucidè, ac populariter.

Summa argumenti ergo futura eſt: Iam plus ſatis in orbe Chriſtiano dimicatum eſſe; pacem quærendam ſecundum Deum, inueniendam, amplectendã, & modis omnibus retinendã, vt fructus illius, quos Deus verbo proponit, ampliſſimos aſſequamur. Partes autem ſermonis iſtius duæ futuræ ſunt: Vna, de modo pacis: Altera, de fructu illius. Modum, ex verbis Dauidis Pſal. 122. Fructus ex Pſalmo 133. eiuſdem verbis exponemus. Antequam verò ad ſingularem

rem

rem venimus vtriusque loci interpretationem, cùm vtroq. in Psalmo communis extet inscriptio; de eâ prout ad rem præsentem attinet, nobis dicendum est. Inscriptio sic habet, *Canticum excellentiarum*, id est, omni excellentia instructum, *Dauidis*. quibus verbis modus, & res quæ agitur, & auctor proponitur: Auctor quidem, *Dauidis* nomine: Res, *excellentiarum*: Modus verò, *Cantici* appellatione.

Cùm autem ad iustam istarum rerum intelligentiam id primum ratio naturæ nostræ postulet in docendo, vt de Re ipsa antequam de Auctore aut Modo cognoscamus, quam rem *excellentiarum* nomine diximus demonstrari: Duo hîc nobis expendenda sunt, quæ in dubium adduci possent: nimirum Hebræi nominis interpretatio, & conditio rei quæ his Psalmis exponitur. Nomen enim Hebræũ plerique omnes interpretantur variè: Alij gradus: Alij adscensus: Alij denique excellentias, quod postremum secuti sumus.

Qui gradus interpretantur, ex coniecturis & sine probatione certa, quæ quidem ex scripturis constare possit, narrant gradus in templo fuisse, secundum quos Leuitarum Musicam exercentium ordines in ministerio sacro consisterent, quo tempore fiebant sacra coram Domino. Alij verò diuersum tempus stationis illius ponunt: nempe tum Leuitas in musico opere per suos ordines fuisse occupatos, cùm

sacer-

sacerdotes & alij ad lectionẽ legis & tractationem Scripturæ S. comparabant sese, expectabanturq. coram populo, dicturi de Cathedra Mosis: quam ad rem historia Nehemiæ 9,4. abuntur. Sed nec factum illud, meo iudicio, confirmari potest, nec testimonia quæ adferuntur, cum hac narratione facti consentire. Nam cùm Leuitarum ordines Musicam exercentium plures multo fuerint, vt ex 1. Chron. 25. (quem locum adducunt vulgo) confirmatur, & secundum portas, ac non secundum gradus fuisse dicantur distributiones illorum passim: non video quo pacto res istæ differentiâ tam perspicuâ distinctæ confundi possint. Quod autem ad illum Nehemiæ locum, tantum abest vt de re musica exponi possit, cùm Leuitæ occupati fuisse dicuntur in sanctissimo illo ministerio, vt contrà ex ipsius capitis argumento & narratione tota constet euidentissimè, nihil tum ad musicam, sed omnia ad flebilem luctum fuisse composita, cùm populus totus ad ieiunium religiosissimum & sanctissimã cõfessionem peccatorũ vocatus esset. Nam cùm in eodem Psalmorum libro fideles pronuncient, Quomodo cantaturi essemus canticum Iehouæ in regione extera, id est, in hoc luctu publico: quis putet illos eiusdem pietatis in altero luctu, eoque acerbissimo, oblitos esse?

Hac igitur interpretatione omissâ, statuunt alij adscensus hoc loco denotari: quorũ adscen-

ſuum occaſionibus circumſcribẽdis diſcrepant. Hi enim hos Pſalmos pertinere putant ad illa tempora, quibus pij ſinguli è ſuis ſtationibus adſcendebant Hieroſolyma, appariturí ſolenni modo coram facie Domini: quem ritum lex docet quamplurimis locis, & Propheta celebrat Pſalmo 42. & 84. & 132. exemplaque docent in Vetere & Nouo Teſtamento paſſim. Illi verò ad tempus reuerſionis ex Babylonia iudicant pertinere: ſiue vt adſcendentes Hieroſolyma ſe his meditationibus ſanctis confirmarent, aliíque alios inter ſe hortarentur, ſiue vt liberationis illius diuinæ memoriam his ſacris cantionibus meditationibuſque recolerent. Verùm cùm iſtarũ rerum, vtut ſpecioſæ ſint, nullum veſtigium in ſcripturis compareat, mihi religio eſt ex narrationibus eiuſmodi, quas ſola coniectura gignit, interpretationes afferre, & res probandas tanquam probatas & compertas in medium adducere. Quod ſi ex coniecturis ſolum agendum eſſet, mallem Hebræam vocem *adſcenſus* quidem exponere, ſed ita vt de ſpiritali piorum euectione ad Dominũ potius quàm de corporali motu intelligeretur: quæ interpretatio cum ea ipſa quam nos amplectimur conuenientiam eſſet habitura. Sin gradus malit quis reddere, vt Eſai. 38. hos Pſalmos ſecundum horas ſolario diſtinctas cantatos in templo dixerim (vt de Pſalmo 22. teſtatur inſcriptio) poſt reuerſionẽ Babylone. His itaque omnibus

omnibus omissis, iudicamus Hebræa voce non *gradus*, aut *adscensus*, sed *excellentias* (vt antè diximus) denotari. Moris est autem apud Hebræos, vt quæ in summo & superlatiuo (vt loquuntur) gradu enunciandæ sunt, ea substantiuis nominibus pluralis numeri exprimantur. Sic Canticum canticorum, Cant. 1. vir desideriorum, Dan. 9. & 10. desertum desolationum, Ierem. 12. verba venti, Iob 16. nimbus vocum Iob 38. quibus in isto genere nihil comparari possit. ac proinde *Canticum excellentiarum* illis cùm dicitur, tam sonat quàm si dixeris *excellentissimum*, vel *Omni excellentiâ* (quæ quidem verè excellentia est) *& præstantiâ summâ instructum*. Atque hæc interpretatio, quia vsui Hebræorum communi omnino respondet, & omnibus coniecturis narrationum factorumque caret, mihi omnium probatur maximè.

Non sum nescius fore, qui obiiciant eandem quoque aliis psalmis & canticis sacris inesse excellentiam: propterea iniquum esse, vt præ illis excellentiæ laus his perbreuibus Psalmis adscribatur. Sed si ad rem pij attenderint, animaduertent in hoc inscriptionum genere duo quædam oportere obseruari, sine quibus indignus hic inscriptionis modus esse videretur. Vnum est, quòd apud Hebræos hæ inscriptiones absolutè, ac non comparatè accipiuntur, tanquam si dixeris Canticum omnem in se excellentiam cõtinens: quæ res citra aliorum can-

ticorum comparationem ita prædicatur, vt his Psalmis sua excellentia adseratur, de aliis verò nihil derogetur planè. Alterum, quòd etiam certo quodam respectu singularis est his Psalmis excellentia, quam præ aliis obtinent, & Dei spiritus testificatus est. Est autem excellentia summa & aliis anteponenda in his Psalmis aut respectu auctoris sui siue principij, aut rei, aut modi ad eam pertinentis. Non autem auctoris: nam rerum excellentissimarú & vniuersam naturam quam longissimè superantiú omnium, & singularú, auctor vnus est Deus Pater in Filio per Spiritú. Restat igitur, vt dicamus excellentiam inesse his Psalmis propter ré aut modum ipsorum: Quæ duo secundum rationem & respectum quendam ducimus cõiungenda.

Nihil hîc dicimus de horum Psalmorú comparatione cum exteris siue humanis cantionibus, secundú quam omnes Psalmi & spirituales odæ à Deo sanctificatæ in scripturis communem habent excellentiam, Principio, Re, & Modo simul omnia humanarú cantionum genera omnibus modis superantem: Etsi hanc quoque communem excellentiam his Psalmis adscribi necesse est, vel eo ipso quòd sunt in cantionum diuinarú & spiritalium genere. Sed tantùm hoc loco agimus de comparatione horum Psalmorum cum aliis eiusdem generis, qui omnes Principio, Re, & Modo spirituali communicant. Hi enim certo quodam respectu excellentiam

cellentiam ſibi vindicant auctoritate & teſtimonio Spiritus, non in ſe aut reſpectu ſui, ſed in nobis potius & reſpectu noſtri: quia ſi ad Rem quæ cõtinetur illis reſpexeris, ſimpliciſſimam habent rei quæ agitur applicationem ſuprà quàm alij Pſalmi aut Cantica Scripturis S. comprehenſa: Si ad Modum, eandem habent breuiſſimam, ac proinde ad memoriam hominum cõmodiſſimam. Sed quia de his rebus perſpicuo ordine dicendum eſt ſecundum eas partes quas antè inſcriptione proponi docuimus, præſtat iam ad excutiendas partes ſingulas veniamus.

De excellentia itaq. dicturi principium illud à natura ingeneratum, quod antè dicebamus, toti huic argumento præſtruimus: Naturam quamq. bonum appetere. Huic autem principio alterũ quoq. adiungi neceſſe eſt, Naturam quamque ſic bonum appetere, vt appetat melius, ſi poteſt contingere: ac proinde vbi ad bonum quo melius nihil eſt, ad bonum (inquam) ſummum peruenerit, in eo conquieſcere, vt quo nihil melius. Bonum autem particulare communi, & humanum diuino cedit, naturale ſupernaturali: quia commune ſupernaturale, & diuinum eſt excellentius. Hæc bona homines, prout ſunt diſciplinabiles, re ſic aſſequuntur, vt certâ doctrinæ viâ atq. ratione ad inueſtiganda, noſcenda, conſequenda, tenendáque ea perducantur. Quapropter vt bonum vnum præ-

cellit alteri, sic vna doctrina alteri pro cõditione obiecti illius circa quod (vt loquuntur) doctrina quæq. occupatur,& rationis (vt vocant) formalis ad obiectum pertinentis. Hic autem quis neget ipsissimam excellentiam in his verbis tradi? in quibus non quoduis particulare, sed commune: non naturale, sed supernaturale: non humanum, sed diuinum planè bonum hominibus exponitur? Res igitur est excellentissima, doctrina rei excellentissimæ his Psalmis consignata: ac proinde si ad res cæteras respexeris, communis est in his impressa (vt in cæteris quoque scripturis) supra res omnes excellentia. Quòd si excellentiam appetimus, Ergò & horum Psalmorum doctrinam (quæ nihil nisi excellentia est) appetamus necesse est.

Deinde verò cùm in rebus ipsis supernaturalibus & diuinis alia bona aliis præstantiora sint, id etiam nobis videndũ est, vt singularem horum Psalmorum excellentiam sanctè recognoscamus, & ad eam probè cognitam religiosè colendam & amplectendam accendamur. Est autem horum Psalmorum excellentia siue præstantia: Vna cõmunis, Altera propria. Communis est, quòd à Deo auctore sunt, quòd res diuinas tradunt, & quòd diuino modo ad eam rem sanctificati sunt, vt reliqui Scripturæ loci. Præterea Psalmorũ & hymnorum spiritualium in Scripturis ea est ratio, vt respectu nostri excellentiores, aliis Scripturis in doctrinæ modo esse videantur.

videantur. Nam res sanctas singulari quodam modo vsui nostro accommodant,& quasi temperati sunt ad modulum naturæ nostræ ex inscientia commodiùs informandæ, ex infirmitate cõfirmandæ,atq. in veritate,iustitia & sanctimonia, aduersus omnes animi perturbationes & impedimenta intus forisq. obuenientia, per singularẽ illum applicationis modum constabiliendæ: qui modus non ita est in aliis scriptionum sacrarum generibus. Itaque & hanc excellentiam Psalmorum & canticorum spiritualium communem his psalmis adscribimus. Nam scriptura quidẽ illa diuina aliis omnibus antecellit: sed in scriptura respectu applicationis ad vulnera,perpessiones, actiones, & difficultates quasuis animorum nostrorum Psalmi aliis scripturæ partibus anteponendi sunt.

Quemadmodum autẽ Scriptura S. aliis scriptis toto genere,& Psalmi reliquæ scripturæ secundum quendam applicationis modum antecellunt: ita etiam hi psalmi, quamuis perbreues, suo quodam iure aliis dicuntur antestare. Cur autem? quia etsi rem eandẽ cum aliis communem tradunt, & eodem modo: in re tamen & in modo ipso singulare aliquid recognoscendum est. In re enim Lux quædam familiaritatis emicat suprà quàm in aliis plerisque psalmis, & quasi à multis circumstantiarũ singularium, quæ alibi occurrũt,tenebris expurgata: In modo autem, breuitas ad facilitatem accedens,

quam vel pueruli memoria facilè complecti potuerint. Quæ cùm ita sint, non dubitamus quin pij omnibus expensis in eam sententiam nobiscum venturi sint: totius quidem scripturæ; tum in se, tum in nobis excellentiam esse homini psychico incredibilẽ, nobis admirabilem: sed psalmorum libro atque argumento singularem ineſſe modum excellentiæ: his autem inter cæteros summè singularem. Atque hæc quidem de excellentia, si comparationem huius cum illa ex inscriptione instituere quisquam voluerit: quam excellentiam Spiritus sanctus affirmauit prouidentissimè, ne illa breuitas atque facilitas (vt fit) in contemptum abire posset. Alioquin mihi non displicet, si (prout Hebræi plurimum faciunt) hanc excellentiæ prædicationem absolutè & citra comparationem acceperis.

Cæterùm quia excellentiã huic doctrinæ & huic scriptorũ generi attribuit Deus, cũ omnes tum naturâ iubente, tũ Deo per Apostolũ præcipiente ad viã excellentiæ teneamur contendere: id nobis obseruandum est, Omnis doctrinæ præstantiã esse in rebus duabus positam. Nam aut eo doctrina vna alteri anteponitur, quòd dignior in se ipsa est, aut quòd est certior. Dignitas, in re: Certitudo, in modo illius exploratur. 1. Cor. 12.

Ac rei quidem dignitas ad scientiæ dignitatem facit, si res alias multas dignitate superauerit. Scientia verò diuinarum rerum, non dico multas, sed omnes alias omnino superat, & transscen-

transſcendit longiſſimè: adeò vt quod minimum eſt illius, ſit maius quauis humanarum ſcientiarum amplitudine. Cùm autem ſcientiarum, quæ quidem apud homines habentur digniſſimæ, aliæ in cõtemplatione, aliæ in actione verſentur, & omnes ſcientia diuinorũ ex æquo ſuperet: ex eo planè cõficitur quicquid dignitatis in Theoricis, quicquid in Practicis obſeruari poteſt, id totũ pleniſſimè non naturali, ſed ſupernaturali; non humano, ſed diuino modo in hoc exiſtere. Eſt autem Theoricarum dignitas partim ex Rei vel Materiæ natura, partimq. ex comprehenſionis modo huiuſmodi, quòd ea conſiderant ſua quadam ratione ſecundum naturam, quæ rationi ſubiecta ſunt: Practicarum verò dignitas potiſſimùm iis tribuitur, quæ ad vlteriorem finẽ nõ ſunt ordinatę, ſed in eo propriè conquieſcunt: ſicut, exempli cauſa, ciuilis ſcientia militari præſtat, quia militia ad bonum ciuitatis ordinata eſt. Hæc omnia ſi in doctrina ſacra religioſè expendamus, & ea ipſa quam ex his pſalmis (Deo dante) ſumus percepturi; Deus bone, quantam dignitatem maieſtatemq. cernimus ab omni parte circumfulgentem nos & diuinis illis radiis in mẽtibus colluſtrantem! Nam ſi ad rerũ contemplationẽ reſpexeris, hæc ſcientia, hæc doctrina eſt primò & principaliter de iis rebus, quæ ſua altitudine & amplitudine tranſſcendũt rationem, ſupra omnes cælos euectæ ſunt, & diuinitus è cælo res omnes per-

fundunt sua luce quæ ad participationem eiusdem dignitatis cælesti gratia ordinatæ sunt. Sin ad finem ipsius animum & cogitationem nostram conuertamus, non eum finem proponi simpliciter animaduertemus, qui à natura rebus creatis omnibus, aut etiam humano generi propositus est; sed ad cognitionem, fructumque suauissimum nos perduci illius finis vltimi, ad quem omnes alij fines scientiarum & actionum sunt ordinati. Deum enim vt finem statuit & communem terminum, cùm rebus creatis cæteris, tum hominibus singulariter destinatum: neque hoc solùm, sed finem cuiusque proprium in illo communi termino reuelat, quòd in eo apprehenso æternam salutē & beatitudinem simus adepturi: denique, ne quisquam aberrare possit, media singula ad finem illum pertinentia & necessariò cum eo coniuncta declarat sapientissimè. quibus rebus quid dignius, vel augustius cogitari potest?

Venio ad certitudinem. Quæcunque in hominibus scientiæ fieri solēt plurimi, eæ certitudinem suam ex principiis & mediis cognitionis dicuntur habere. Principia earū naturalia sunt immota & immediata per vim quandam naturæ in humano intellectu ingenerata: quorum alia ab ipsis scientiis, alia ab aliis depromi solēt tanquam à superioribus. Huic doctrinæ meritò vindicatur omnis excellentiæ perfectio: quæ immediatè nō à natura, sed à Deo; nec per naturam

turam, sed per reuelationem gratiæ principia sua obtinet certa, immota, & immediata. Quòd si quæ interdum à natura & ratione humanâ adhibet, ea non tanquam mutuò aut precariò à superioribus, sed suo iure tanquã ab inferioribus & ancillantibus assumit: nõ quo perficiatur ab illis, sed quo perficiat illas, & in vsu iustissimo singulas occupet. Nam cur non vtatur hac via Dominus & seruator noster? cuius doctrinam non propter defectum vel insufficientiam (vt ita loquamur) ipsius, sed propter defectum intellectus nostri, ad quos hæc salutaris doctrina pertinet, his adiumentis instrui oportuit: vt ex iis quæ per naturalem rationem, velut scientiarum omniũ humanarum matrem, innotescũt, faciliùs ad ea percipienda deueniamus atq. deducamur, quibus humana ratio & natura tota superatur. Media verò ad certitudinem doctrinæ huius pertinentia cum his principiis planè cõsentiunt. Illæ enim scientiæ quibus homines intumescunt, certitudinem suam habent ex illo naturali rationis humanæ lumine, quæ potest errare: prout eũentus in hominibus singulis plus satis ostendit. Hæc verò scientia (vt cum Propheta loquar) excellentiarum, perfectam diuinitus habet certitudinem ex lumine supernaturalis scientiæ & diuinæ, quæ nec ipsa errare potest, nec ab vllo erroris spiritu circumduci. Sed quid multis probationibus aliunde accitis opus est? Doctrinã excellentia-

rum

rum appellat Deus: quis dubitet eam ita esse vt appellat Deus? Deus hanc esse dicit sapientiam nostram & prudentiã nostram ante oculos populorũ, vsqueadeò vt isti audientes dicãt, Tantùm gens ista maxima populus sapiens est & prudens: quis contradicat Deo veritatis? Est igitur excellens, imò excellentissima, imò omni omnis excellentiæ perfectione absolutissima: quæ omnia locutione Hebræa designãtur. Cùm autem hæc singula eiusmodi sint, vt hominem, vel natura teste, ad huius doctrinæ amores incredibiles debeãt excitare: ô miserũ hominem, qui aliis in rebus omnibus facilè cupit excellere, præterquam in iis quæ verã excellentiam, certam, plenamque Deo teste & auctore obtinent!

Huius autem excellentiæ tum adiuncta manifestissima, tum certissima testimonia sunt duo illa reliqua capita, quæ ex inscriptione horum psalmorum antè ostendimus. Quisquis enim de excellentia hac necdũ sibi videtur satis confirmatus, ad auctorem, ad modum respiciat: Hic certè habiturus est, vnde suam illam fidei infirmitatem statuminet. Auctor est Deus: instrumentum, Dauid, à Deo sanctificatum & in perscribendis his psalmis occupatum. Ille rex, propheta Θεόπνευστος, ille homo secundùm cor Dei; vt scriptura loquitur, testis incorruptus, & publicus Dei in Ecclesia, Ecclesiæque apud Deum notarius, publica fide & auctoritate hos psalmos exarauit. Has operas, Dei inquam & Dauidis,

Dauidis,in his psalmis concurrentes, excellentes esse, & de rebus excellentissimis credent, quicumque Deum, Ecclesiam, & tantum Dei seruum à Deo Ecclesiaque adhibitum ad istud opus verebuntur.

Huic dignitati & certitudini alterã adiunxit Deus,cùm hos ipsos psalmos & cantica esse voluit,eaque publicè in Ecclesia cani,& ab eadem asseruari. Primùm enim quanta sit vis numerorum & modulationis in mentibus hominum & animis excitandis,reuocandis, flectendis,firmandis, regendisque in omnem partem,nemo homo ignorare potest. Quod autem in natura sit, id Deus sanctissimè & sapientissimè in rebus sacris,& in his ipsis voluit obseruari. Deinde non parú momenti adferre videtur harum cantionum auctoritati,quòd Deus nõ solùm ad cantum cõmodas in populo suo extare voluit, sed etiam in publicum auctoritatem earum diuinam testificatus est: nec illis solùm temporibus colendam & suspiciendam,sed in omnem præterea posteritatem, his temporibus vltimis, hac luce Euangelij,ad secundum vsque aduentum Christi obseruandam. Quæ cùm ita sint, cùm harum cantionum quas hoc tempore interpretandas suscepimus,ea sit Principio,Re,& Modo ipsarum auctoritas, ea rerum (vtcunq; paucæ videantur) Veritas, Vtilitas, Honestas, atque Necessitas ex Dei ipsius veracis atque fidelis testimonio,vt nihil in rebus humanis adæquari,

æquari, nihil comparari possit, vt quæ toto genere ab eis differãt, & res omnes humanas, quæ dici aut cogitari possunt, maximopere antecellant: excitemur per Deum immortalem ex illo infausto lethiferoq. veterno, quo nos communis ille aduersarius salutis nostræ soporauit, & in quo nati, educati, alti conquieseimus plus satis. Videamus tandem nihil in rebus omnibus mundi existere, quod nobis verã excellentiam præbeat, quamuis ostentet speciem: nihil attendi à nobis oportere, ad quod (vt certatim) facimus) apprehendendum concurramus in his labentibus & caducis rebus: præterit enim figura
1. Cor. 7. mundi huius, inquit Apostolus. quin potiùs pro eo quod ita miserè in fluxis rebus naturâ nostrâ & studio diffluimus, veram excellentiam rerum quæramus studiosissimè: veram doctrinam excellentiæ naturâ extinctam, sed gratiâ oblatam percipiamus diligentissimè: & verum auctorem doctrinæ huius (cuius beneficio ad veritatem rerum doctrinarumque salutarium quàm indulgentissimè prouocamur) auscultemus religiosissimè: & in schola eius hærentes, tamquam ad pedes ipsius, hauriamus de riuis veritatis, expectantes dum ad fontem illius plenissimum pleniss imè perducamur.

Ex his itaque fontibus de conditione sanctæ pacis & Christianæ ducturi aliquos riuos ad communem ædificationem, Deum oramus vt nobis de ipsa excellentia dicturis præsit Spi-

ritu

ritu excellentiæ suo, & lecturos omnes afficiat eiusdem excellentiæ suæ studio ac conscientiâ, vt viam excellentem hanc insistamus omnes, & ad finem perfectionemque illius vno animo contendamus in Christo Iesu vnico, æterno, & perfecto seruatore nostro. Cùm autem duo capita de Pace receperimus, antè nos esse dicturos: Vnum, de Re & Modo ipsius: Alterum, de Fructibus: Iam auctore Domino venturi sumus ad prioris explicationē, prout verba nobis sanctus ille Dei Spiritus præiuit olim per Dauidem Psalmo 122. & nobis in eundem Psalmum dicendi gratiam admensurus est.

PSALMVS. 122.

1. *Lætor de dicentibus mihi, Eamus in domum Iehouæ.*

HVIVS psalmi Finis est, vt Deus in Ecclesia sua glorificetur intus fide, foris obsequio fidei omnibusq. officiis pietatis, in vnitate Spiritus per vinculum pacis. Summa est, Fructum Spiritus in omnibus piis esse gaudiū spirituale, & pacem in iustitia; quam pacem Deus in Christo publicè dedit ecclesiæ, & singulis membris illius, in se, atq. inter se colendā cum Deo, & secundum Deum. Partes itaque duæ sunt: Nam primū loquitur Psaltes de spirituali piorum gaudio in Christo & ecclesiâ eius: ad quod gaudiū omnes homines sermone salutis & exem-

Rom. 14.

plo

plo piorum prouocantur, quinq. versibus: Deinde verò pax illa ostenditur quam ecclesia colit, ex quo cælesti illo gaudio (quod modò diximus) perfusa est, quatuor versibus vltimis.

Antequam verò de his partibus distinctè dicimus, nõ est prætereunda silentio illa occasio, quæ suis temporibus Dauidē excitauit vt hunc sanctissimum psalmum ad gloriam Dei canendum Ecclesiæ traderet. Quisquis vel mediocriter in lectione historiæ sacræ versatus est, non ignorat quantis difficultatibus inde à morte Iosuæ populus Dei laborauerit, in peccatis suis mersus, & in malis quamplurimis variè propter peccata sua à Deo exercitus: à quibus malis etsi interdum longo interuallo recreabatur, liberationes aliquas diuinâ manu adipiscens, tamen ne Samuelis quidem ipsius aut Saulis temporibus fuisse piis refrigerium (vt cum scriptura loquar) eiusmodi, ac pòst illis contigit quàm Dauid in regnum euectus est, atque in eo confirmatus. Hanc cõstitutionem Dauidem assecutum, cum sui officij, tum diuinarum in lege promissionum recordantem, de arca fœderis in ciuitatem suam importanda, & domo extruenda ferió cogitauisse: quorum prius, id est, arcæ importatio in ciuitatem Dauidis, contigit viuente ipso: posterius, domus ædificatio, in tempus filij reiectum est. Cùm autem re in consiliũ missa, arca illa Dei in tentorium, quod Dauid parauerat, inferenda esset, celebritatem

2. Sam. 6. & 7.

fuisse

fuisse maximam à Dauide imperatam ad deducendum arcam Iehouæ in locum eius, quem parauerat ei: & alacritatem summã tum à sacerdotibus Leuitisque, tum à popularibus singulis exhibitam, sibi, & ecclesiæ toti, regnoq. hanc Dei gratiã gratulantibus expertus est. Ad hanc igitur occasionem cùm Dauid anteactas gentis suæ & Ecclesiæ Dei calamitates memoriâ repeteret, præsentiaque beneficia cum illis compararet, ad hoc canticum exarandum deponendumque in ecclesia fuit auctore Dei spiritu adductus; vt eâ ratione testatum faceret, se tum rerum præsentium, quas videbat oculis, tum illarum quas animo cernebat in Ecclesia Dei, argumento ad hanc prædicationẽ diuinam excitari. Videbat enim populum suũ ab hoste liberatum, se regem tranquillum datum, locum electum à Deo designatum, Arcam Dei symbolum gratiosæ præsentiæ eius importatam in ciuitatem suam, populum Deo, Regi, & sibi gratulantem, omnia deniq; laudibus & plausu piorum personantia de tot tantisq. acceptis beneficiis. Sed hæc quantula fuerunt, si cum spiritalibus, quæ iam tum cernebat animo, comparentur? Cernebat populum Dei ab hoste Satanâ liberatum in Christo redemptore nostro: hunc regem pacis à Deo datum, quem adumbrabat Dauid: Deum sibi & Ecclesiæ toti in Christo esse præsentissimum singulari præsentiâ gratiæ per communicationem spiritus, &

1. Chronic. 15.

1. Chronic. 16.

mansionem apud se populumq. suum statuisse: pios omnes acclamantes huic sanctissimo Dei aduentui: Denique hæc omnia plenissimè à Christo consummanda, tum priore aduentu ipsius, cùm sermo factus est Caro, & consummauit in se quæcumque sunt opus ad salutem nostram; tum posteriore illo exoptatissimoque aduentu, quo omnia in nobis consummaturus est, vt sit Deus omnia in omnibus.

Hac igitur occasione diuinitus sibi oblata Dauid ad canendum hunc psalmum, & tradendum ecclesiæ productus est. Quæ occasio etsi his tẽporibus vltimis in typo minimè perseuerat, omnino tamen in rei veritate perdurat constantissimè. Quapropter æquitas postulat, & iubet pietas, & cogit necessitas, vt dum aberrans à contemplatione huius sanctissimæ occasionis Mundus furit in sua ipsius viscera, ad sensum illius, agnitionem, amorem, & studium prouocetur: & omnes pios Dei administres ad rem hanc adlaborare necesse est, fretos certâ expectatione cælestis paternæq. benedictionis, si in hoc opus in fide incubuerint.

Iam de illis duabus partibus quas antè statuimus, Gaudio inquam & Pace piorum, videndum est. Gaudium suum, quo pius perfunditur in spiritu Dei, exponit Propheta, cùm & affectionem suam narrat, & causas illius. Affectionem proponit vnico verbo, *Lætor* siue *lætatus sum*. Causas verò percurrit sequentibus.

Non

Non temerè autem à professione suæ illius lætitiæ siue gaudij Propheta exorsus est. Nam plurimæ ante illud tempus calamitates populum Dei peruaserant: neque dubium est, quin eo ipso tempore adhuc manarent vlcera tristitiam bonis adferentia, siue ad internas hominum infirmitates, siue ad mala foris accedentia respicerent. Sed cùm Propheta horum omnium malorum sensui opponit gaudium, eo ipso docet euidentissimè quàm verè sit à Tullio dictum, iniquam esse præteritis bonis malorum enumerationem: quæ res etsi à naturâ est, plurimum tamen ignorantiâ, infirmitate, & singularibus nostris studiis oppugnatur. Nam quotusquisque est, obsecro, qui vrgente vno aliquo malo non eò abripiatur statim, perinde atque si omnia bona interuentu vnius mali concidissent? Vt ergo ex malo tristitia concipitur, sic ex bonis delectationem & gaudium, quamuis in malo præsentissimo, constanter à piis teneri necesse est. quam vim si naturæ instinctu pecudes, & rationis luce homines, etiam à Deo alieni, omnibus seculis ostenderunt: indignum, turpe, flagitiosum est, hominem Christianum diuini spiritus virtute & veritatis luce circumfusum, in vno aut altero mali impendentis sensu. exutá bonorũ quæ summa & plurima à Deo obtinet, conscientiâ mollescere. Hæc igitur illa vis est, qua sanctissimus Dei seruus præterita præsentiaque populi mala

Lib. 3. de legib.

per fidem ſuperuolans ad Deum aſſurgit hoc loco,& fructum ſibi ineſſe prædicat quē mundus non poteſt eripere: nimirum gaudium illud ſpiritus, cuius nos Deus facit participes communicatione gratiæ, adeò vt etiam in ipſis afflictionibus nos gaudere narret Apoſtolus,& gaudere iubeat in ſpe, atque in Domino: neque id ſolùm, ſed etiam de noſtris afflictionibus prædicet gloriari.

Rom. 5.
Rom. 12.
Philip 4.

Sed quia gaudium non ſatis eſt imperari, niſi materia iuſta illius extiterit (alioquin non gaudium, id eſt, delectatio cum ratione coniuncta, ſed opinio eſſet ac φανταζόμενον) ad cauſas veniamus illius gaudij, quod Dauid tum de ſe prædicabat, & quod Dei Spiritus inde ab eo tempore imperauit ſuis, cùm auctoritate ſua hunc pſalmum ſanctificans ſeruandum & obſeruandum in Eccleſia deponeret. Cauſarum quæ ſanctum illud gaudium Dauidi attulerunt, duo ſunt genera: quarum aliæ (vt ita loquamur) ſunt particulares, & priuatum quendam reſpectum habent: Aliæ verò communes ſunt, ad bonum publicum pertinentes. Vtrumque genus Propheta diſtinctè explicat: nam priores verſu 1. & 2. poſteriores, tribus ſequentibus verſibus oſtenduntur. Quem ordinem conuenientiſſimū à piis omnibus diligenter opus eſt obſeruari, vt nunquam in ſuis priuatis commodis aut ſtudiis conquieſcant, ſed ab iis ſemper ad cōmunis & publici boni rationē gaudium q.

de eo

de eo (si quod obtulerit Dominus) attollantur. Has igitur causas ordine expendamus.

Particularium, siue earum quæ ad singularia membra ecclesiæ pertinent, loci duo sunt. Nam est sermo cõsilij exhortationisq. vers. 1. est opus communionis sanctorum, vers. 2. Sermonem consilij & exhortationis Propheta explicat dicens, se *de iis qui dicerent ipsi, eamus in domum Iehouæ* lætatũ esse. Sensus est: duobus nominibus pium illud & religiosum gaudium in priuata sua causa à Dauide fuisse perceptum: nam & personarũ dicentium respectu illum fuisse affectum gaudio, & rerum quas dicebant illæ Dauidi consulentes atque gratulantes.

Ac personarum quidem nobiscum de regno Dei laborantium respectu percipi gaudium à nobis oportere Natura & Scriptura docent. Cùm enim à naturâ omnes simus ab vno principio orti, omnes vnius speciei, omnes sociales, omnes iisdem bonis naturalibus ac veluti pignoribus instructi, quæcunque ad conseruationem speciei & societatis humanæ pertinent; profectò & sibi, & speciei, & societati, & Naturæ denique toti putandus est aduersari, quisquis suas facultates non studet eò conferre, & ex eis non sentit gaudium. Quid? nonne feræ in suo genere sic feruntur instinctu naturali, vt speciem suam curent, & propterea etiam, vbi opus fore senserint, congregentur? Cætera animantia (inquiebat ille) in suo genere probè degunt *Plin. lib. 7. Natur. hist.*

gunt: congregari videmus, & ſtare contra diſſimilia: Leonum feritas inter ſe non dimicat: ſerpentum morſus non petit ſerpentes: ne inaris quidem belluæ ac piſces niſi in diuerſa genera ſæuiunt. Et tu, homo à feris, ratione præditus ab expertibus, & ſocialis à ſolitariis vincaris? tu operã des, vt feritate & abalienatione vincas cætera, & in tuo ipſius naturæ funere triumphator tibi videaris?

In primis autem reſpectus hominum pios affecturus eſt gaudio, cùm aliorum ſtudium erga Deum & erga ſe pium animaduerterint: quemadmodũ Propheta nobis exemplum hoc loco ſtatuit, dicens ſe *lætari de hominibus dicentibus ſibi* & ſe alloquentibus pio illo ſermone, qui pòſt exponitur. Nam fit quidẽ plurimum, vt ſi quis nos refugiat, à noſtra communicatione abhorreat, noſtraque ipſorum bona auerſetur aut auertat, iuſtam nobis cauſam habere videamur cur non gaudeamus de illis, aut illorum bono. Etſi hæc ipſa abalienatio nullo iure probari poteſt, cùm particulare (vt vocant) factum, & particularis cauſa, id eſt, vitium huius aut illius de iure naturali non poſſit derogare, nedum abrogare, & hominis odium, inuidiam, inimicitias, ſimultates, iniurias excuſare. Sed cùm homines eiuſmodi ſunt erga nos, vt quod bonum eſt, dicant, & nobis dicant; aut ſi aliud quàm bonum dixerint, tamen animo ſpectant ad bonũ, quamuis decipiantur ſpecie illius:

illius: inhumanum est, si quis eo hominum facto non afficiatur gaudio, & de illa sancta ad bonum conspiratione, quamuis cæcâ aut cæcutiente, gratuletur. Atque hæc causa est cur priscos illos Corinthios hanc certissimam materiam gaudij relinquentes, & in suo ipsorum fastu & fratrum imperitiorum contemptu insolescentes, grauissimè Paulus monuerit dicens, De spiritualibus donis, fratres, nolim vos 1. Cor. 12. in ignorantia versari. scitis vos gentes fuisse, qui ad idola illa muta, prout rapi contigisset, abripiebamini. Quapropter notum vobis facio, nullum per spiritum Dei loquentem dicere Iesum Anathema, & neminē posse dicere Iesum Dominum, nisi per Spiritum S. tanquam si diceret, iniquam esse inter homines illam æmulationem qua alij alios videntur antestare, & primas sibi arrogant ex spiritualium donorum conscientiâ. Nā siue ad dona respexeris, siue ad eos ipsos qui ea obtinent; omnia isti humano fastui & arrogantiæ repugnare. Etenim ad ea quod attinet, omnino dona esse; ac proinde alienæ gratiæ, non virtutis nostræ. Præterea spiritualia esse: non ergo carnis aut naturæ nostræ, sed spiritus & cælestis gratiæ, prout in eâdem epist. dicebat Apostolus, Quis est qui discernit te? aut quid habes quod non acceperis? quod autem ad eos homines qui dona ista per Dei gratiam participant, eos cum natura, tum anteactâ experientiâ, & præsente spiritus diuini

testimonio in animis ipsorum ab ista iniquitate in suos fratres reuocari. Natura enim omnes ignorantes rerum spiritualium esse, donec eas nos Deus docuerit: nec plus cognitionis de illis posse nobis contingere, quàm prout de suo lumine Deus accenderit demensum fidei. Experientiâ verò vitæ ante-actæ nostræ id ipsum testari luculentissimè: cùm omnes à naturâ infideles se fuisse sibi sint conscij, & abreptos fuisse post idola muta & mundi vanitatẽ prout contigerit: neque tum fuisse futurum gratum iustumq. nobis officiũ, dum illis tenebris circumclusi hærebamus, si quis insolẽte fastu nos in tenebris siuisset computrescere. Postremò autem præsentem gratiæ diuinæ infirmos sustinentis & cæcos illustrantis conscientiam satis ostendere tenues illas scintillas diuinæ lucis non exsufflandas fastu, aut contemptu extinguendas esse, sed magni semper faciendas, velut spiritus Dei munera, quẽ ne in minimis quidem puerulis oporteat contristari. Et quis dubitat, quin in eo ipso dicentium numero, quos hic commendat Dauid, fuerint homines omnis generis secundũ dona Spiritus & gradus scientiæ, qui temporibus illis poterant contingere, inter se distinguendi? fuerunt docti, indocti, firmi, infirmi, excelsi, mediocres, tenues, omnes in eodem sermone pro modulo donationis Christi occupati: de quibus omnibus promiscuè Dauid lætatus est, ad Christum commune caput

caput omnis boni noſtri, nõ ad commune malum vitioſitatemque naturæ noſtræ reſpiciens, & in omnibus honorans Dei imaginem. Quæ res nobis omnibus eſſe documento debet, vt neque perſonarum ratione, neque tenuitatis, infirmitatis, aut ignorantiæ illarũ abducamur à dono Dei (quantulumcumque ſit) in ipſis recognoſcendo: ſed vel tenuiſſimam lucis diuinæ ſcintillam, quam gratioſè Deus cõmunicauerit, propter Deum & Chriſtũ & Spiritum eius habitantem in ipſis foueamus diligentiſſimè, lætitiamque fraternam de illis capiamus in ſpiritu.

Quod autem Propheta dicit hanc ſibi lætitiam fuiſſe allatam *de dicentibus ſibi*, non eſt otioſum. nam Dauidem hoc verbo *ſibi*, ſtatuimus duo hominum genera innuiſſe: quorum alij vocatione communi, alij ſingulari hos ſanctos ſermones cum Dauide habuerint. Communis vocatio eſt Pietatis Charitatisque, quam Deo & proximo debemus ſinguli. Vocatio verò illa ſingularis eſt, muneris atque conſilij, quo cum rege communicare in re tanta tenebantur quoſcumque Deus ad conſilium publicum eccleſiæ, & Rex ad conſilium regni allegerat. Neque enim dubium eſt, quin Sacerdotum, Leuitarum Prophetarumque conſilium in rebus ſacris Dauid acceperit; & in iis quæ ad ordinem publicum pertinuerunt, aliorum quoque ſententias rogauerit quos ad publici ordinis curam & conſeruationem adhibebat: quemadmodum

dum ex verbis auctoris 1.Chron.13.& 15 & sequente cõfirmatur. Atque hæc profectò maxima est (vt ita dicamus) messis fructusq. maximus spiritualis illius gaudij qui hîc in terris potest cõtingere, cùm omnes ordines sancta consensione diuinitus inditâ suis Principibus dicunt,& illis vicissim Principes,ea quæ ad cõstitutionem regni Dei sentiunt pertinere: præsertim si iusto ordine aguntur omnia, quem 1.Chron.13.& 15.legimus informatum. Nam Deus primùm permouit Regis Dauidis animum ad sanctam hanc cogitationem, eumque spiritu suo intus allocutus est: hoc deinde auctore Dauid cum suo Consilio communicat, 1.Chronic.13. pòst de sententiã Consilij omnibus indicit rem deliberatam: denique sic instituuntur omnia, vt Deus ordini præsit, omnes Deum sequantur ordine, & ita conficiantur ea quæ iam olim Deus lege promiserat. Sic multiplicem lætitiam percepit Dauid, cùm æquè in consilio suo ac in vniuerso populo pietatis studium animaduerteret: Studium autem? imò etiam officium studiosissimum, cùm inter se, tum ipsi regi dicentium quæ religionis & pietatis studium imperabant.

Hic verò secundus locus est,qui lætitiam illam animo Dauidis informauit, quòd sanctè dicentes audiret, *eamus in domum Iehoua.* Pauca verba consilij: sensus amplissimus. Hoc consilium procerum cum rege, idem consilium fuit

popula-

populariũ inter se adhortantium ad executionem illius: *Eamus*, inquiunt, *in domum Iehouæ*. Huius autem consilij & hortationis eò pertinentis vnicum est argumentũ, nempe adiri ad Deum oportere, & vna huius argumenti actio. Veruntamen huius actionis in hisce pauculis verbis tres leges comprehenduntur sanctissimo consilio fixæ: Prima est de Fine: Secunda, de Viâ ad finem pertendente: Tertia, de Actu piorum iustâ viâ ad finem concursantium. Finis est *Iehouæ*. Via est ecclesia, *domus Iehouæ*: Actus est, *Ambulatio ad Iehouam* per Ecclesiam ipsius.

Ac de Fine quidem multa huc à nobis adferri nihil necesse est. Hunc enim finem sic natũra docet rerum omnium, etiam vitæ & sensus expertium, vt non possit quisquam sine impia & iniquissima oppugnatione naturæ ad alium finem contendere. Quod autem natura res omnes perdocet; id recta ratio naturæ nostræ indita longè amplioribus documentis perceptura esset, nisi tum internæ tenebræ mentis (nam tenebræ sumus) tum particularia animi studia (nam infirmi & malitiosi sumus) tum innumerabilia mundi fallacis obiecta (nam figura mundi & fuco circumuenti sumus) rationem illam præstinguerent. Veruntamen, vt impedita est, restant in conscientiâ quædam scintillæ veri & iusti, quæ homines pietatem & iustitiam in mendacio detinentes, adeoq. diabolos ipsos Deo & saluti nostræ aduersantes, euincunt

euincunt hoc vnum principium, hunc finem singularé esse vniuersis & singulis naturâ duce propositum, à quo, in quo, per quem, & propter quem omnia sunt, & omnes quoque (vt verbis vtamur Apostoli) viuimus, mouemur, & sumus. Neque solum id natura nostra & rerum creatarum omnium contestatur, verumetiam natura Dei omnia circumfulget virtute admirabili, & sine testimonio sui, præcipuè apud homines, se non sinit vnquam. Quapropter *Iehoua* Hebræis appellatus est, vt qui sit ἀυτὸν, vt loquuntur patres: ipsum ens absolutum, ad nihil extra se relationem habens, & ad quem omnia omnino ex necessitate referantur. Hunc autem finem omnes duobus modis docemur cognoscere: puta vniuersali naturæ luce, & communi testificatione scripturæ vel diuini verbi: secundum quæ testimonia nemo est qui non sit dicturus, si modò animum contra veritatem non obfirmauerit, *Iehouam* esse, & cognosci oportere, denique ad ipsum contendi vt verum finem salutarem nostrum.

Ac illud quidem homines pij & instituti in verbo Dei facilè ferre possunt, imò de eo lætari cum animis suis, si fratres imbuti eâdem gratiâ & informati singulari reuelatione eius, cùm ipsi inter se, tum ipsis acclamauerint, *Eamus ad Iehouam*. Etsi non desunt in eorum ipsorum numero (proh dolor) qui perinde acsi Deum, & mundum, & naturam sibi solis esse oportet,

ret, indignè ferunt hanc lucem cognitionis inesse suis fratribus; aut certè hanc præferre atque exhibere ipsis ex pietatis & charitatis lege: Quo malo repurget gratiosè Dominus membra sua,& corpus Ecclesiæ suæ virtute spiritus, quem iuris & ardoris spiritum in scripturis appellauit. Veruntamen si fortè res nobis futura est cum hominibus eiusmodi, qui singularem illam inspirationem & reuelationē gratiæ non sunt adepti à Domino,quid dicturi sumus? Si auctoritate scripturæ quam legunt, dicant, *Eamus ad Dominum*, sed non dicant commodè, quia nō intelligūt: si auctoritate naturæ, quamuis nec singulari reuelatione spiritus, nec communi illâ ac publicâ testificatione scripturæ instructi: si igitur naturâ duce hac sancta acclamatione vtentur, *Eamus ad Dominum*,quod iudicium de illis facturi? quam sententiam laturi sumus? Horret animus cogitanti immania illa iudicia,conatus, facta, quibus hic mundus, & ipse Christianus orbis plus satis circumfluit, Impietatem specie pietatis, inhumanitatem specie charitatis,iniustitiā prætextu iuris intus spirantia & foris contestantia. Atqui de his ipsis lætari nos oporteret singulos, & errantibus lucernam accendere; non offendicula pedibus illorum obtrudere, aut bene cupientibus vim afferre malè. Nónne lex maledictum eum pronunciat, qui cæco in viâ offendiculum posuerit? nónne id natura docet,quod olim cæcus *Deut.27.*

ille

ille cecinit Ennius? Homo qui erranti comiter monstrat viam, Quasi lumen de suo lumine accendat facit: Nihilominus ipsi lucet, cùm illi accenderit. Quod si hæc in rebus corporis & vitæ præsentis Deus, Natura, boni, omnes denique præceperunt; longè amplius profectò & diligẽtiùs danda est opera, vt in rebus animi & ad futuram illam æternam vitam pertinentibus prosimus omnibus, obsimus nemini. Et, per Deum immortalem, quid est quod nos impediat, ne miseris illis ex morbo & errore animi laborantibus acclamemus ad bonũ, & à malefaciendo abstineamus quã fidelissimè? Nam si illi cæci sunt, at nos fuimus: Si oberrãt cæcitate, at nos oberrauimus: Si denique impedimento sunt, at impedimentũ habẽt, vt nos habuimus: quo magis nostra cõmiseratione & alleuatione digni sunt. Si quis ergo de scripturæ mente non satis informatus, tamẽ bono animo ad Deũ contenderit, etiam de eo lætandũ est quod procurat bono animo, quamuis non procuret bonum: foueri oportet quod bonum est, errorem tolli; quemadmodum olim dicebat Augustinus, Errorem tolle, & serua hominem. Similiter si quis in medium producatur fretus solâ naturæ luce, qui Deum requirat simplice animo; non temere depellendus de gradu, sed sollicitè appellandus est, & omni officio ac potius pietate ad pietatis notitiam perducendus: lætitia spiritualis de hoc homine capienda: neque solùm ore & sermone

sermone testanda foris, sed ex corde & veritate intrinsecus effundenda, vt sanctissimum hunc Prophetam (qui fuit vir secundum cor Domini) ex animo & corde toto imitemur. Quod si huius exemplum non potest eò nos adducere, videamus saltem quid Apostoli apud infideles egerint: quanto labore, studio, fide, religione Paulus dicatur cum illis versatus esse, & quantâ sollicitudine cum infirmis ea communicauisse quæ acceperat à Domino. Plenus est harum historiarum totus Actorum liber, plenæ documentorũ epistolæ. Deniq. seruator ipse Christus, qui suis Apostolis sermone & exemplo præiuit, suosq. imitatores nos esse voluit, nónne illum ipsum iuuenem, qui se omnia obseruauisse dicebat à iuuentute sua, intuitus dilexit & monuit officij? quamuis eo tempore non legatur illum amoris illius monitorumque fructum aliquem percepisse, nedum edidisse; sed contrà indoluisse propter sermonem Christi, & contristatum abiisse. Quamobrem cùm Dei, Naturæ, & Scripturæ sacræ testimoniis, & piorum omnium, adeoque Christi ipsius exemplis doceamur finem hunc esse homini cuiuis propositum (est autem à naturâ propositus, & à Deo expositus, quà obscurius, quà euidentius pro voluntate ipsius) cur naturæ bonum, quamuis imperfectissimum, in homine damnemus? Cur eum propter mala præteritis bonis impellamus in ruinam miserabilẽ? cur subuertamus impo-

Marc. 10.

impotentiâ animi,& malitiâ noſtrâ? Videamus potius, vt ſcintillam boni accendamus,quàm vt extinguamus;& accenſam foueamus ac fortificemus ſtudioſiſſimè, lætitiamque ſanctam communiter de ea capiamus cum bonis omnibus & cum Angelis electis in cælo: ne fortè quod olim prædicabat Dauid de ſuo ſpiritali gaudio in hac cauſa, id nobis in horrendam condemnationem vertatur iudicio Dei, poſtquam veſtigia Dauidis ex hiſtoriâ ſacrâ, & ex verbis ipſius hoc loco didicimus ad omnẽ pietatem humanitatemque erga quoſuis homines religione ſummâ contendiſſe.

Hîc verò reſpondebit fortaſſe quiſpiam, de Fine quem ſibi omnes homines ante oculos ponunt,non admodum dubitari: ſed totum laborẽ noſtrum in eo eſſe,vt viam quâ peruenitur ad Finem illum, teneamus. Rectè: Bene eſt igitur ſi de Fine inter omnes conſtat. At quotuſquiſque eſt qui de miſeris hominibus ignorãtia aut infirmitate abreptis ſic iudicet ex charitatis officio? quàm multi propter opiniones de aliis conceptas fratres ſuos, alienos ſeruos, propter quos Chriſtus mortuus eſt, temerè condemnant, & palàm pronunciant eos linguâ teſtari contrà quàm animus ſentiat,vt iniquitatem iudiciorum ſuorum proteruè tueantur? Apage iſtam inſaniam, non homine Chriſtiano, non naturali homine, non brutâ animante dignam: quæ inſania inde à ſeculis multis animas perdidit

didit innumerabiles. Veruntamen esto, de Fine conueniat, vt antè dictum est: ergo de Viâ qua ad finẽ peruenturi sumus, deinceps videndum est. Atque hic secundus locus est, quem antè ad horum verborum interpretationem probè obseruari diximus oportere.

Via quâ ad Deũ opus est cõtendere, à nobis definita est Prophetæ verbis, cùm *domũ Iehouæ*, id est, Ecclesiam pro viâ nobis habendam esse traderemus. Hoc illud est, inquiet fortasse quispiam, quod tãtopere cupimus: & quidẽ eo amplius cupimus, quo videmus amplius necessariam esse reipsa viã, & tamẽ vanitate hominum controuersam. Nam Ecclesiam quidẽ viam ad Deum esse pleriq. omnes agnoscimus: Sed in circumscriptione & determinatione illius, fermè (quod vulgò dici solet) qũot capita, tot sententiæ. Ergo vt de re tam necessaria, & tamen plus satis controuersâ, inter nos cõuenire possit, duo ponenda sunt, quæ nemo bonus (dum sibi constabit mente) negaturus est. Vnum est, dum de hac circumscriptione Ecclesiæ sententiæ audiuntur & discutiuntur, oportere vt alij feramus alios, ac nõ contrà quàm in optimis rebus publicis & iudiciis bene cõstitutis iure obseruari solet, ab executione statuamus rei exordiũ. Alterũ est, vt faciliùs de hac quæstione conuenire possit, etiã cõsentiamus inter nos de cortis mediis vel potiùs principiis cõfessis vtrinq. inter diuersas partes opus esse, ex quibus paula-

tim, animis cõpositis & rixis sepositis, ad assequendam illam circumscriptionem veniamus determinationemque Ecclesiæ. Interea verò ne in hac nostrâ opera aërem dicamur cædere, sine discrepantium inter se partiũ præiudicio, Principium confessum apud omnes cum bona pace omnium statuemus. Illud autem est Scriptura sacra, de qua optimè olim Augustinus cum Donatistis agens, In Scripturis, inquiebat, didicimus Christum: In Scripturis didicimus ecclesiam: Cur non ergo in scripturis communem Christum atque ecclesiam retinemus? Ex his autẽ scripturis, velut immediatis à Deo, certis, atque immotis principiis delineaturi Ecclesiam, non colligemus hinc inde quæ ad hoc argumentum videntur pertinere: sed hærentes in hoc ipso cãtico vestigia Prophetæ κατὰ πόδας persequemur. Sic de Ecclesia dicemus, quæ hic ipse locus nobis subministraturus est, & Dei Spiritus ex eo edocturus.

Hæc igitur informata est à Dauide Ecclesiæ ratio, quam ex ipsissimis verbis omnes (spero) mecũ recognituri sunt. Ecclesiæ duplex est ratio: Interna, & Externa. Internam rationem Propheta explicat hac vnâ appellatione, quòd *domus Iehouæ* est. Externam verò rationem in communione sanctorum positam demonstrat planè sequentibus. Id solum discrimen interuenit inter illam Ecclesiam & hanc nostram, quam Christus adunat Euangelij prædicatione,

ne, quòd illa cum re habuit vmbracula; hæc re cum illâ eadem est, sed inuolucris exempta vmbraculorum typorumque eiusmodi, vt facta à Christo fuit disparatio. Iam de ratione internâ & essentiali Ecclesiæ videamus. 136

Describitur Ecclesia duabus suis partibus essentialibus (vt omnibus rebus fieri solet) cùm *domus Iehouæ* appellatur. Nam quà *domus*, materia significatur: quà *Iehouæ domus*, forma essentialis huic materiæ indita.

Materiæ quam in Ecclesiâ obseruamus, cognitio est euidens. Neque enim agere hoc loco statuimus de Ecclesia Dei in cælis versante atq. gloriosâ, ex angelis hominibusq. coagmentata secundum electionem Dei in Christo Iesu: sed tantùm de Ecclesiâ Dei, quæ hîc in terris versatur, & in fide tantisper ambulat dum ad perfectionem illam perducta sit. Materia igitur huius ecclesiæ ex hominibus est: nam ex his, tanquam ex lapidibus domus, ædificatur ecclesia Dei. Sed hi lapides viui sunt, vt à Petro appellantur, ex quibus coagmentatur Dei viuentis domus. Lapidum autem quibus structores in ædificationibus vtuntur, duplex est ratio, extra opus, & in opere. Nam primùm sparsi & iacentes in agro lapides videntur, qui ad structuram adhiberi possunt: pòst in ipso opere & ædificatione domus. Eâdem quoque ratione homines considerantur: tum secundùm naturam tanquam iacentes in viâ, qui adhiberi pos- 1. Pet. 2.

sunt ad structuram spiritalem Dei, tum secundùm opus gratiæ, quum in structura diuina ex facto occupati sunt.

Secundùm naturam itaque sunt in potentia quodam modo, vt vocari possint tãtisper dum hic in via sunt: quemadmodum idem Propheta cecinit Psal. 2. dicens, Osculamini filium, vt non irascatur & pereatis in via, cùm exarserit vel minimùm ira eius. Ac proinde cùm Deus illos in via relinquat, sibi iudicium seruans de iis quos aut assumpturus ad opus suum, aut in via media relicturus est otiosos, non est hominis cuiusquam iudicium de illis facere: nam Dei hoc iudicium est. nõ est cuiusquam illos negligere: nam præceptum charitatis in omneis omnibus est datum. non est cuiusquam propter offensas in illos inuehi; siue Deum offendant, nam serui alieni sunt, non autem nostri; siue nos ipsos ratione vlla, nam mea est vltio, ego rependam, dicit Dominus. Sed potiùs eædem nobis omnibus partes obseruandæ sunt, quas Deus exemplo suo mõstrat, faciens vt Sol suus exoriatur super malos ac bonos, & pluat super iustos & iniustos: & quas Christus reipsa præstitit erga nos, cùm adhuc essemus peccatores atq. inimici ipsius, pro nobis mortuus. Deniq. illud ipsum præceptum quod Dauid illius verbis denunciauit eodem in psalmo, quàm diligentissimè colendum est: vt singuli tanquam administri gratiæ & misericordiæ Dei, ipsos,

dum

dum in viâ ſunt, fraternè appellemus, dicentes, Nunc animaduertite, eruditionem percipite, colite Iehouam cum reuerentia, & exultate cum tremore: oſculamini filium, &c. quæ paulò antè adduximus.

Quod autem ad opus gratiæ, & illos qui in ipſo opere & ædificatione ſunt per gratiam, quis neget religiosè illos agnoſci oportere, tanquam materiam à Deo ſanctificatam ad opus diuinum ipſius? Etſi horum duo ſunt genera: nam alij tanquam lapides rudes atque impoliti ad eccleſiam adducuntur verbo aceruatim: Alij in eccleſia ſunt, & de ſubſtantia illius dicuntur eſſe, vt lapides in opere ſtructuræ ſingulatim occupati. Nam perinde accidit in hac ædificatione ſpiritali, vt in ſtructuris humanis videmus obſeruari. Primùm adfertur materia promiſcuè: Deinde verò ſpeciatim hic lapis in opere occupatur, ille intactus relinquitur. Demonſtrat illud Ioannes dicens, E nobis egreſſi ſunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum: ſed vt patefieret non omneis eſſe ex nobis, egreſſi ſunt. Quod ſi illi ipſi lapides qui in agro iacent, dum hîc in terris viuimus, non ſunt negligendi: profectò bonâ fide nemo homo hominem neglecturus eſt, qui aut ſiſtetur coram ædificio Domini, aut in eo occupabitur ſingulari gratia illius. Nam quemcunque Deus ſiſtit, qua auctoritate, quo iure homo depulſurus eſt, donec

1. Ioan. 2.

ipſe Deus architectator ſuæ domus depulerit? quemcunq. occupat Deus in opere, quis deturbaturus eſt? pudeat ergo Chriſtianos, qui inſcientiſſimis ſuis præiudiciis aut impotentiſſimis ſtudiis ſic abripiuntur, vt quam Deus materiam domus ſuæ aduocat, ipſi negent, auertant, & omnibus viribus interturbent. Deus fert materiam tamdiu, quæ ad domus ſuæ ſtructuram adhiberi poteſt: & tu, homo miſer, ne ad momentum quidem perferre poſſis? Deus aduehit materiã, & ſtruem accumulat ad commoditatem ædificationis ſuæ: & tu, homo demens, diſperdas & diſiicias proteruè quæ coaceruauit Deus? Ad ſummam, Deus ædificat de hac materia quoſcunque tanto honore gratiæ dignatus eſt in filio dilectionis ſuæ: & tu, homo ingratiſſime, gratiam illam Dei, & opus gratiæ, & Deum ipſum oppugnes iniquitate tua? abſit à nobis longiſſimè iſtæc inſania. Statuamus potius cum animis noſtris, Nos omnes, quotquot Chriſtiani ſumus, operas Dei eſſe: ac propterea vocatione communi teneri ferre quæcunq. fert Deus, & proximos omnes noſtros ſecundum naturam, vocationem, & gratiam ad eandem communionem aduocare. In primis autem quicunque operarij ſunt Domini ex vocatione ſingulari, aut in numero digniſſimo operariorum eius ex ordine haberi volunt, quo amplius honoris à Domino donis, & vocatione adepti ſunt, ij ſic cogitent, ſe non vt præeant arbitratu

ſuo,

suo, sed vt Dominum præeuntem sequantur omni religione ac fide vocatos esse: Itaque sui esse maximè officij, vt homines disiectos & exteros ab ædificio Domini miserentur animo, sermone vocent, & opere exemploque præeant diligentissimè: Quoscunq. vero aut verbo trahit ad domum suam, aut virtute spiritus applicat, iis omne officium pietatis & humanitatis per charitatẽ ἀνυπόκριτον præstent in Domino. Nam commune hoc officium est omnibus imperatum, vt omnibus benefacianus: sed cùm de illo numero omnium propiùs adiungantur nobis. qui vocantur verbo (nam mihi Christianus est quàm Turca propinquior) proximè autem qui vnitate spiritus continentur nobiscum in ecclesia Dei: nos his maximè omnium, velut domesticis fidei, oportet benefacere. Nulla materia, dum in via sumus, negligenda (nam quis nouit quo vtatur Deus?) sed hæc tamen illi anteponenda est, prout verbo & opere demonstrat Deus. Atque hæc de materia ad domum Dei pertinente satis.

Forma autem essentialis huius domus in relatione, id est, ordinatione & applicatione ad ipsum posita est: cuius respectu domus *Iehouæ* appellatur. Nam vt corpus vnum ex omnibus hominibus constituatur, prout specie omnes sumus vnum: non tamen continuò sumus domus vna *Iehouæ*. Sed alia quædã forma ab altero principio, quàm à natura est, secundum

quàm ex hac communi materia vel corpore, id est, ex ſpecie humani generis domus *Iehoua* conficitur. Notum eſt autem in ſcholis, relationem, quam vocant, formam eſſe earum rerum quæ ad aliquid referuntur: ac proinde citra relationem ea quæ reipſa relata ſunt, id ipſum quod ſunt, non poſſe eſſe. Relationem autem, ſecundum quam hæc domus ex lapidibus viuis coagmentata veram ſuam formã & eſſentialem obtinet, demonſtrat nomen *Iehoua*: quia eccleſia domus *Iehoua* appellatur, tanquam domini ſui; & viciſſim Dominus, huius domus, quam Eccleſiã vocamus, dominus. Eſt autem eſſentialis forma, per quam res eſt atque operatur. Quod ſi res relatiua eſt, eius forma eſſentialis vſq. adeò in reſpectu alterius & relatione poſita eſt, vt citra illum reſpectum nec ſit, nec agat quicquam. Sic Eccleſia, quicquid eſt, quicquid agit quâ eccleſia eſt, id totum eſt & agit in Domino: & relatio eius ad Dominum, certiſſima & vnica forma eius eſſentialis eſt. Formam autem dico inde à principio, & ſecundum eſſe, & ſecundum potentiam, & ſecundum actiones operationeſque ipſius, & ſecundum finem: quia ex eo, & per eum & in eum
Rom. 11. ſunt omnia: Cui ſit gloria in ſecula.

Etenim Deus ſolus ſolum eſt principium ſupernaturale gratiæ, Deus, inquam, Pater in Chriſto Ieſu per communicationem Spiritus. Quapropter tum ab eo omnis cognatio dicitur

tur nominari in cælo & terrâ, tum verò Ecclesia & singula illius membra dicuntur esse Christi, & Christus Dei. Atque hic etiam locus eò pertinet (prout argumentum docet Apostoli) vt intelligamus hunc respectum siue relationem, ad essentiam totam Ecclesiæ, hoc est, non ad generationem solùm, verùm etiam ad constitutionem eius protendi oportere: quia vt ab eo, sic in eo subsistit Ecclesia: imò longè firmiùs ac glorioſiùs in eo subsistit, qui solus immortalis est & subsistit per se, quàm aliud quicquam. Quin etiam cùm omni essentiæ sua sit à natura inclinatio & operatio, gratia verò naturam anteeat numeris omnibus; ex eo quoq. illud consequitur, quòd omnem suam potentiam Ecclesia à Deo obtinet gratiosè; qui omnia in omnibus vniuersè implere dicitur, & cuius vicissim complementum Ecclesia appellatur: quia Deus singulariter in ea collocat thesauros potentiæ suæ, & illa vicissim cum Apostolo agnoscit libentissimè & audenter prædicat, Omnia possumus in eo qui confirmat nos. Cùm autem illius potentiæ, quæ ad omnia etiam contraria subeunda instruitur virtute Dei, suæ sint actiones, in quibus potentia illa & virtus quasi determinatè occupatur, quemadmodum ex potentia habitū, & ex habitu actum generari tradunt scholastici: id quoque fateantur omnes etiam imperitissimi necesse est: Deum, qui principium est omnis potentiæ & operationis

Ephes. 3. 1. Cor. 3.

Ephes. 1.

in rebus creatis vniuersè & in tota natura rerũ, multò magis fundamentũ esse operationum omnium Ecclesiæ suæ per singularem assistentiam gratiæ, quam promisit dicens, Nam ero
Heb. 13. tecum, vt auctor Epistolæ ad Hebræos argumentatus est. Quòd si rerum istarum omnium ratio ita est cõparata, vt ecclesia sine relatione ad Deum nulla sit, omninò ex ea ipsa relatione & respectu finem quoque Ecclesiæ pendêre statuimus. Nam, cùm domus sit propter dominum & habitatorem suum, Ecclesia vero sit Dei viuentis domus; quis vsque adeò inter homines desipiat, vt domum luteam & ex necessitate misero homini fabrefactam, ad vsum hominis velut finem suum spectare iudicet; Ecclesiam verò à Deo liberrimè, sine vlla necessitate ipsius, ex indignissimis & abiectissimis hominibus collectam, putet ad alium finem quàm ad eius gloriam, qui sine vllo defectu suo, sed merâ gratiâ ædificauit, pertinere?

His ita constitutis, optimè concludimus in relatione Ecclesiæ ad Deum formam essentialem Ecclesiæ constitui oportere: cuius relationis fundamentum Deus est, & principium omnis boni, vt in natura rerum naturaliter, sic in natura Ecclesiæ supernaturali gratia: ac proinde, sicut in natura nihil est quod ortũ, essentiam, virtutem, operationem, finemque suum assequatur sine hoc principio atque fundamento; ita nihil planè in Ecclesia esse, nedum Ecclesiæ

cleſiæ corpus, quod ſine hoc principio gratiæ quidquam iſtorum fuerit habiturum. Denique vt corpus ſine animâ nihil eſt, ita Eccleſia ſine illa anima ſua nihil futura eſt: Nam anima (inquit Auguſtinus) vita eſt corporis, animæ vita Deus.

Sed iſtius formæ eſſentialis quam Deus hæc beatiſſima relatione indit Eccleſiæ ſuæ, modus itidem diuinus eſt. Eſt quidem naturalis relatio Lunæ ad Solem à quo fœneratur lucé, ſed non eſt vnio; non in relatione ſtabilitas. Eſt quidem relatio animæ ad corpus in homine conſtituendo: ſed hæc vnio naturalis eſt, ac proinde vt ortum habet, ſic etiam fertur ad interitum naturali quodam impetu, prout res compoſitæ ad principia ſua diſſolutione continuitatis ſuæ reuertuntur. In hac verò relatione, magnifica, glorioſa, diuina omnia. Nam Deus pater ſic mittit filium ad Eccleſiam ſuam, vt ſemper vnum ſint: filius à Patre miſſus ſic ad eam venit, vt ſemper vnum ſit cum Patre, quod æternum eſt; & ſemper vnum cũ Eccleſia, quod beneficium ſuo tempore cœptum in æternum permanſurum eſt; vnum inquam cum Eccleſia ſua, tum participatione naturæ & affectionum illius omnium, tum perſonæ ſuæ in vnitate naturæ noſtræ & ſpiritus ſui bonorumque ſuorum omnium communicatione: Spiritus denique ſanctus à patre & filio procedens in Eccleſia eſt præſentiſſimus illa ipſa præſentia

gratiæ,

gratiæ, secundum quam Ecclesia tota & singula
1.Cor. 6. ipsius membra templa Dei & Christi, quia Spiritus Dei habitat in ipsis, appellantur. Vtcunque dissoluatur naturalis relatio, vtcunq. soluatur vnio, quæ in rebus creatis inueniri potest, hæc vnio supra naturam est: ac proinde non tendit ad interitum, vt res naturales; sed supra omnem interitum omniaque interitus instrumenta quàm longissimè euecta est, cùm fundamentum suum habeat in Domino.

Vsus verò relationis istius qualis, obsecro, futurus est, cùm omnia diuina & suppeditata diuinitus in hâc relatione videamus? Certè quicquid Ecclesia videt, audit, odoratur, gustat, tangit, sentit, imaginatur, appetit, intelligit, quidquid viuit, quidquid mouetur, quidquid est, id totum diuinum oportet esse: Et quidquid fidelia illius membra instituunt, similiter ab eodem principio, eodem motu, & modo ab illis institui conuenit. Nam si Deus, si Christus vita nostra est (vt est) cur vitam alteram viuamus quàm Christi? cur aliud cogitemus, quàm cogitationes decentes membra Christi? cur aliis rebus studeamus, quàm iis quas docet Christus? cur denique in Christo dicamur esse, si non viuimus Christo? Vt forma rei cuiusque est, ita operatur. quisquis Christianus es, quà Christianus es, spiritum habes Christi, principium & formam Ecclesiæ Christi. In hac forma Christum, & proximum, & teipsum oportet re-

tet recognoſcas, vt dignè incedas vocatione tua. Id ſibi olim voluit Apoſtolus, cùm ad Corinthios ſcriberet, Charitas illa Chriſti conſtringit nos; vt qui hoc ſtatuerimus, ſi vnus pro omnibus fuit mortuus, nempe omnes fuiſſe mortuos: illum autem pro omnibus mortuum eſſe, vt qui viuunt poſthac non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus & ſuſcitatus eſt. Itaque nos poſthac neminem nouimus ſecundum carnem: quod ſi etiam nouimus Chriſtum ſecundum carnem, nunc tamen non amplius nouimus. ſi quis igitur eſt in Chriſto, noua creatura eſt: vetera præterierunt, ecce noua facta ſunt omnia. hæc autem omnia ex Deo, qui reconciliauit nos ſibi per Ieſum Chriſtum, &c. 2. Cor. 5.

O diuinam formam veritatis! formam ſcientiæ, formã charitatis! quam Apoſtolus de ſe in Chriſto ſubſiſtente ita prædicauit, ita gloriatus eſt in Domino, vt eâdem tum formam corporis Eccleſiæ Catholicam exprimat, tum ſingularem membrorum illius in Chriſto Ieſu. Nam videmus Paulum in Chriſto conſtrictum vinculo charitatis: cuius charitatis pignora effectaque certiſſima hæc ſunt, quòd & Chriſtus mortuus eſt, reſurrexitque pro nobis, & nos in ipſo mortui ac ſuſcitati ſumus, vt viuamus ipſi. Videmus Paulum in iſtâ coniunctione charitatis, verâ ſcientiâ formæ illius Chriſtianæ ita præditum diuinitùs, vt eâdem ſcientiâ, non autem diuersâ, & Chriſtum, & ſe, & fratres ſuos cognoſcat

cognoſcat ſimul, non ſecundum carnem, id eſt, naturale corpus & ſpeciem illam externam quam à primo homine etiã citra rationem peccati habitantis in nobis accepimus, ſed ſecundum illam ſanctiſſimam cõſtitutionem ſpiritalem quam Chriſtus in ſeſe à carnis infirmitatibus & morte vindicatus virtute ſuâ obtinet, ac communicauit, velut Eccleſiæ caput & primogenitus inter multos fratres, cum Eccleſiâ ſuâ & membris ſingulis illius. Quâ in conſtitutione effectum eſt, vt Chriſtus nos omnes, & viciſſim nos Chriſtum & fratres noſtros in Chriſto ſecundum renouationem illam ab eo factam cognoſcamus. Videmus denique in his duabus rebus, charitate inquam & cognitione Chriſtianâ noſtrâ, certiſſimam veritatem ab omni mendacio, vanitate, & mutatione alienam: ſecundum quam, quiſquis in Chriſto eſt, noua creatura eſt: vetera præterierunt, quæ propè ſunt vt intereant, & noua facta in credente ſunt omnia nouitate æternùm duraturâ, cùm & auctorem habeat Deum patrem, & mediatorem effectoremque Chriſtum, per quem reconciliati ſumus Deo & patri noſtro.

Hâc radice charitatis, hoc ſucco veritatis, hac luce cognitionis atq. ſcientiæ, hac denique forma Chriſtianitatis inſtructi, ſi Chriſtum nouimus, ſi nos in Chriſto experimur, cur non & Eccleſiam, & membra illius, tum quæ iam ex facto vocata ſunt per Dei gratiã, tum quæ porrò

vocanda

vocanda misericorditer, cur non (inquam) hos omnes in eadē charitatis radice, & succo veritatis, eadem cognitionis luce, eademque Christianitatis forma cognoscamus? Hæc enim illa ratio est, quæ recreauit summaque lætitia Dauidem affecit, & omnes bonos exemplo eius affectura est: hæc illa forma cuius conscientia Apostolus non dubitabat dicere, Siue insanimus, insanimus Deo, siue sana mēte sumus, vobis mente sana sumus: adeò possidebat vera illa formà hominis Christiani Apostolum Christi, vt non ad se respiceret, sed ad Christum caput nostrum, & in Christo omnia membra corporis illius in veritate, scientiâ, & charitate Christiana amplexaretur studio & amore insuperabili. Horum exemplis si nos religiosè studebimus conformare, & mysterium pietatis in bona conscientia & fide ὑποκείτῳ & charitate retinebimus; non dubium est quin eiusdem lætitiæ cùm in hoc, tum in futuro seculo consortes futuri simus per Dei misericordiam. Sed, heu, si ad hæc tempora oculos & cogitationes nostras conuertimus, quid aliud dicturi sumus, quàm quod olim dicebat Christus? Væ mundo propter scandala: væ homini per quē eueniunt scandala. Prospiciat gratiosè pater ille miserationum, & mundum ruentem gratia salutari retrahat. Omninò, vt res sunt, forma illa Christianitatis deperit, quā Deus scripturis expressit, quam sancti vitâ adumbrarunt, quam denique Chri-

Mat. 18.

que Christus quotidianis signis & documentis testatam facit. Veritas in profundo demergitur, lux scientiæ cognitionisque salutaris certatim oppugnatur atque extinguitur, Charitas fermè non compáret vsquam. Et quis miretur, si lætitiæ illius spiritualis loco grassatur carnificina in mentibus manibusque plurimorum, quos hoc etiam tempore reuocat Dominus auctoritate, rationibus, & exemplis ab impietate & iniustitia ipsorum?

Háctenus duo exposuimus ad hunc locum pertinentia: nam Iehouam finem esse ostendimus Ecclesiæ toti & piis in ea singulis propositum: deinde Ecclesiam relatione spirituali cum Deo coniunctam, tantisper dum coniuncta manet, quaque ipsum respicit, velut iter piæ cuiusque animæ esse demonstrauimus, vbi inueniat Dominum. Restat locus tertius de actione piorum ad Deum in Ecclesia contendentium: *Eamus*, inquiunt, *in domum Iehouæ*, &c. Duplex igitur est piorũ actio in Ecclesia, & per Ecclesiam ad Deum verum & viuentem contendentium. Vna est, quòd eunt ad Dominum: altera, quòd in Ecclesia euntes permanent atque perseuerant. Prioris actionis documentum habetur his verbis; *Domum Iehouæ adeamus:* posterioris autem illis: *Consistentes sunt pedes nostri intra portas vestras, ô Hierosolyma.* Hìc fides, hîc patientia, hîc perseuerantia sanctorum pauciſſimis verbis à Propheta grauissimè demonstrata,

monstrata, cùm ire dicuntur, & in iis finibus se euntes continere quos circumscripsit Deus, vtcumque intus foris, dextrorsum & sinistrorsum lætitia & labor ipsorum oppugnetur.

Ac primùm quidem non temerè dicuntur *ire* quicunque ad Ecclesiam Dei vocati sunt, aut vocantur adhuc misericordia eius. Nam siue ad hominem, sedemq; illius respexeris, siue ad Deum & sedem gloriosam eius, nihil est quod nos non doceat, iter (si sapimus) fieri à nobis oportere, vt egredientes è nobis ipsis & sede hac nostra, iusto itinere non autem iniusto, vero ac non fictitio, ad Deum transeamus, & sedem cælestem illius. Nam quid est homo? totus miser, natus in miseria, in eadé à natura agens, viuens, & moriens, denique miseria ipsa. Quid sedes hominis? miseriæ campus, quem nemo homo (vsque adeò miseri sumus) vel minima ex parte possit decurrere. E diuerso autem quid est Deus, nisi patet ille miserationum & omnis bonæ donationis autor, qui solus miserum hominem sola misericordia sua potest vt omnipotens est, vult vt optimus est atque misericors, scit vt est sapientissimus, è miseria ipsius & sede miseriæ eripere? Quam rem, quia promisit & fidelis est ac verax, secundum illam potentiam suam, bonitatem, misericordiam, & sapientiam est effecturus. Et quæ huius sedes? iustitiæ, vitæ, gloriæ, in quam omninò quisquis conscenderit, tutus ab omni impetu in Dei præsidio, ad

æternitatem conquieturus est. Quantum autem, obsecro, interuallum putandum est inter illum quem prædicamus Deum, & nos miseros homunciones, qui domos luteas incolimus? Quantum distat illa æterna & cælestis sedes & immota ciuitas, ab hoc momentaneo & putri gurgustio quod nos incolimus? Est igitur faciendum iter, si ex hoc miserrimo domicilio nostro ad illud beatissimum aspiramus. Hoc iter nemo homo in terris, aut Angelus è cælo docere aut monstrare potuit. Deus idem docuit, & posuit. Docuit in scriptura; posuit in Ecclesia. deducit nos ac potiùs trahit virtute sua, id est, spiritus æterni sui communicatione.

Primum itaque quod ex illo sanctorum sermone discimus, illud est; nos peregrè abesse à Domino; & vbicunque locorum simus, videndum esse, vt tũ à nobis supra nos, tùm à mundo supra totum hunc mundum fugiamus, nisi mala nostra, id est, peccata & miseriæ innumerabiles ex peccatis accumulatæ nobis plus æquo allubescant maximo malo nostro. Deinde, cùm homini cuiuis prudenti nõ id tantum sit videndum, vnde effugere ipsum oporteat, verumetiam quò & qua vtiliter ipsum contendere; alterum illud Christianis opus est, vt prout à se ipsis mundoque toto profugiunt, ita ad finem summum omnium & summum bonum suum transfugiant diligentissimè: præsertim cùm is ipse, qui principium & finis omnis boni, adeoque

144

que summum bonum, vel potiùs vnicum nostrũ est, se tam gratiosè sistat in oculis omnium & exhibeat perfruendum. Quam ad rem si defixa oculorũ acie toto animo & tota mente adlaboraremus, profectò nec tam multis incommodis alij afficeremus alios, nec in singulis quæ obueniunt impedimentis, citò, trepidè, segniter, atque infirmè hæreremus. Accedit ad hæc sanctissimum illud Dei, qui nos vocauit, studium Ecclesiam suam in hoc terrarum orbe seculoque pangentis, velut ouili caulam, & familiæ domum: cuius claustra & repagula propterea à Deo fixa sunt, vt cùm nosmetipsos in Ecclesia Dei fratresque nostros agnoscamus, aditum ad Deum molientes, tum verò Deum ipsum sanctificationem Ecclesiæ suæ & membris eius adferentem præsentia sua & salutari gratia. Quorum omnium seria contemplatione sancti iam olim perciti inter se dixerunt; *Domum Iehouæ adeamus*, vt Propheta hoc loco narrat; id est, cùm ipsi sibi gratulantes addiderunt calcaria, vt Deum & sacrarium eius accederent, tum alios sermone, exemplo, & omni pietatis officio, non imperio & violentia (quò plerique omnes videntur tuere) non ostenso metu, religiosissimè prouocarunt.

Quid ergo est, ô grex Christi, quod nos tantopere impediat ab his omnibus pietatis, iustitiæ, sanctimoniæ, & religionis veræ officiis? Quid est, obsecro, quod miseriam istam pere-

grinationem noſtram, ac potius emanſionem qua emanemus à Domino, nobis tam ſuauem efficiat? Quid eſt ſiue in nobis, ſiue in hac miſera ſtatione & tota conuerſatione noſtra, quo alliciamur atque conſtringamur, ne poſſimus à nobis ipſis & noſtra miſeria fugere? Quòd ſiquid eſt ſuauitatis (vt quidem videtur nobis) in hac ipſa miſerrima conditione noſtra, quid eſt vſque adeò ſuaue aut vtile, aut boni inſtructum ſpecie, quod cum illo fine ſummo & bono vnico comparari poſſit? quid eſt quod non perrumpamus, vt tandem conatu iuſto ad rapiendum fructum ſummi illius boni perducamur? quid eſt in hac abiectiſſima ſtatione noſtra factoque noſtro contaminatiſſima, quod nos ſic faſcinet, vt mentes ad domum illam cæleſtem, quam *Iehóua* inhabitat, minimè attollamus? quid, quod oculos præſtinguat, ne lucem illam à Deo in Eccleſia ipſius commodiſſimè expoſitam proſequamur, eaq. prælucente mala fugienda, & bona prenſanda, vtenda, fruenda, ſecundum Deum cognoſcamus, & alij alios ad eandem cognitionem, apprehenſionem, & fructum gratiæ excitemus? quid, quod nos iubeat ſaluti noſtræ ipſorum obſiſtere, & metum, minas, artes, vim, gladios, ignes, laqueos, quærentibus ſalutem ſecus quàm nobis videtur, oppangere? Cogitemus potiùs per Deum immortalem, per ſalutem illam noſtram, quam pretioſo ſanguine ſuo Chriſtus comparauit, quantum

tum malum nos circumsideat opprimatque, nisi ad Deum contendamus: quanta bonorum innumerabilium in Deo suauitas: quanta in Ecclesia claritas: quanta in communione sanctorum delectatio, mutuis celeusmatis inter se adhortantium: quanta vis maximæ illius nubis testium (vt Apostolus ad Hebræos vocat) nos velut circumsonantis clamore sanctissimo in cælo & terra, vt præeuntes sequamur & obsequamur Domino. Hac cogitatione armati fugiamus nos ipsos & mala nostra, ad Deũ transfugiamus per Ecclesiam eius, & alij alios ad participationem admirabilis eiusdem lucis religione & charitate vera prouocemus. Hæc illa est sanctorum actio, quam Deus imperat, quam Dauid prædicat, quam pius quisque diuinam iudicat, & quam nemo nisi impius, si viderit aut modo aliquo senserit, abdicaturus est. Sed hanc actionem animus non corpus, mens non manus præstare potest; quandoquidem (vt docebat Christus) Deus est Spiritus, & eos qui ipsum adoraturi sunt, in spiritu & veritate præcipit adorare. Det nobis idem qui præcipit, vt corpore, & animo, & spiritu ita comparati, à nobis ad ipsum in Ecclesia fugiamus indesinenter, & alij alios secundum illam charitatem Christi adiuuemus in persequenda percipiendaque illa communicatione gratiæ, incredibilem lætitiam, fructum spiritus suauissimum, in nobis editura.

Heb. 12.

Ioan. 4.

2. *QVOD consistentes sunt pedes nostri in portis tuis, ô Hierosolyma.*

ACTIONEM sanctorum omnium singulorumque diximus antè à Propheta circumscriptam esse certissimis ac perneccssariis finibus, cùm illos accedere ad Deum Ecclesiamque illius, & permanere in ea prædicaret apud Dominum Deum suum. Iam verò expositâ priore parte, qua pij sese ad Deum in Ecclesia eius adeundum comparauerunt, hîc altera subiicitur, qua sanctam perseuerantiam suam profitentur in boni illius diuinitùs percepti communicatione. Huius ergò propositionis summa est, profiteri pios, & hoc tempore Christianos omnes, se in Catholica Dei Ecclesia & parte Catholicæ quæ hîc in terris versatur, constanter mansuros esse, neque ab ea aut diuinis institutis eius temerè discessuros. Atque hanc professionem singuli pij hoc loco ita dicuntur facere, vt sui religiosi studij non hunc solùm aut illum, sed totum Ecclesiæ corpus, Ecclesiam (inquam) ipsam testem aduocent, spectatricem sancti consilij & voluntatis suæ. Quamobrem vt hoc argumentum commodiùs exponamus, & singuli meliùs intelligant, tria nobis ordine videnda sunt in hoc versu paucis comprehensa. Primùm, quam perseuerantiam profiteantur pij: Secundò, quos fines statuant illius perseuerantiæ: Postremò autem quos adhibeant

hibeant testes conscientiæ ipsorum annuentes atque attestantes. Perseuerantiam denotant hæc verba, *Consistentes sunt pedes nostri.* Fines illius perseuerantiæ circumscribuntur ab illis, cùm inquiunt, *in portis tuis.* Testimonium verò Ecclesiæ ad hæc omnia appellatur, quia illius est testificari secundum Deũ, tum de portis suis (vt cum Propheta loquamur) tum de membris intra portas eius agentibus.

Ac primus quidem ille locus de perseuerantia sanctorum nõ temerè à piis adhibetur: quia omnes homines ad sanctitatem veram à Deo prouocati & accensi in Ecclesia eius, adhuc ea cæcitate mentis & carnis infirmitate sunt, dum hîc in terris viuunt & lubricũ iter huius mundi premunt, vt nullo fermè negotio pedes eorum à viis quas Deus præscripsit auertantur. Probat Deus, excæcat mundus, debilitat caro, peccatum frangit, Satanas fallit, omnia denique pedibus piorum insidiari videntur quàm periculosissimè, nisi Dei manus, Ecclesiæ ars, & nostra ipsorum obseruatio diligentissima aduersus tot mala, quæ nos infestant, concurrerint. Peregrinantes itaque pij à Domino & arduum huius vitæ iter cõtemplantes, quo ex sẽ ipsis egredi, in Ecclesiam ingredi, & ad Deum transgredi ipsos necesse est, actionem illam spiritalem corporeis vmbraculis significauerunt, cùm sibi pedes in hoc spirituali incessu & consistendi officium tribuerunt. Hìc enim siue incedamus, siue

consistamus, non pedis, sed mentis opus est (vt antè diximus) quæ facultatem suam in rebus spiritualibus occupat spirituali modo, sine corporalium instrumentorum operatione vlla: sed tamen nobis, qui carnales sumus, & secundum carnem per analogiam quandam infirmo captui nostro accommodam res spirituales accipimus, adumbrat actiones suas corporalibus instrumentis. *Pedes* igitur *nostri*, inquiunt, *sunt consistentes*, id est, perstamus in Ecclesiâ Dei, ad quam peruenimus, vt præcedente versu fuit expositum. Et quamuis subinde nostrâ ipsorum infirmitate & alienâ occasione factoque impellamur, & propemodum de beatâ illâ sede, quantum in nobis est, deiiciamur, tamen experimur subinde etiam nos in Deo & in Ecclesia eius cõfirmari, quo nomine gloriamur etiam in mediis nostris afflictionibus.

Itaque in locutione hâc, *Pedes nostri sunt consistentes*, reuerâ plus inest, quàm si dictũ fuisset à piis simpliciter, *Consistunt pedes nostri*, quemadmodum Hebrææ linguæ vsu demonstratur passim. Nam primùm testantur pij factum suum, deinde tentationes suas, ac postremò studium quo tentationibus obsistunt in Domino. Factum suum hoc esse pronunciant, quòd freti virtute Iehouæ (qui formam essentialem ecclesiæ & membris illius indit Spiritus sui communicatione) se in Ecclesia & domo Dei viuentis continent, ad quam singulari gratia illius vocati,

cati, adducti,& agglutinati sunt, vt immoti in ea hæreant, tanquam superstructi salutari illi petræ, cuius Christus Matthæi 16. & Paulus 1.Cor.10. meminerunt. Tentationes sunt non quidem disertis verbis expressæ, sed hâc loquendi formulâ tacitè comprehensæ, quòd intus & foris in pios irruunt mille incommoda, quibus ab illâ statione deturbari possent in quam gratia Dei perducti sunt, absque Deo esset vindice ipsorum. Nam vt homini qui totus infirmus est, etiam infirmo pedibus, si aduersentur solum lubricum aut arena fluens atque instabilis,æstus Solis,imbres,procellæ,venti,omnia denique obstiterint, conditio eius in ipso est miserabilis: ita pios,dũ hîc sunt,versari cõstat in Ecclesia Dei infestos grauissimis,innumerabilibus,ac diuersissimis calamitatibus; aduersus quas sibi ipsi nequeant prospicere, sed tantum fortiter fixo pede id sibi statuant laborandum,ne demoueantur de eo loco vbi fruuntur præsentia Dei ipsos confirmantis.Hoc enim sibi verba illa volunt, *Pedes nostri sunt consistentes*: perinde atque si dicerent; Impelli quidem multifariam grauissimè sæpissimèque ipsorum pedes, & singulis momentis propè esse vt dilabantur impedimentorum vehementia: verumtamen se adhuc pedibus firmis consistere, nec rebus aduersis,quæ infestant ipsos, vel ad momentum cedere. His deniq. rebus accedit studium illud, quod tertio loco posuimus: cuius

ſtudij documenta duo ſunt, Phraſis quam antè diximus,& tota hæc enũciatio. Nam Phraſi vel locutione Hebræa conſtantiam ſuam in labore ſtudioque conſiſtendi apud Dominum profitentur: Enunciatio verò tota ſermonem reſipit hominum verè ſanctorum, qui iuſtificati fide & pacem habentes cum Deo in Chriſto,etiam in ſuis oppreſſionibus & anguſtiis gloriantur, vt Apoſtolus prædicauit. Viderunt nempe ſanctæ illæ animæ ſpiritu Dei actæ,id non eſſe ſuarum partium, vt alienos pedes obſeruarent, aut iis offendicula inſidiáſue ponerent: non vt eos, contrà quàm pietas & charitas Chriſtiana docet,proteruè in lapſum impellerent;non vt miſeros etiam non intelligentes, vel ad ſe non aduertentes animum, perſequerentur infeſti: ſed hoc ſibi potiùs curandum eſſe,vt ad ſuos pedes, id eſt, inſtitutum vitæ & adminiſtrationis ſuæ attenderent, eos circummunirent à rebus omnibus aduerſis, & ſe in omni bono ſecundum Deum & coram ipſo in Eccleſia confirmarent. Quem finem ſi actuoſum hoc noſtrũ ſeculum ante oculos iamdiu propoſuiſſet ſibi,certè tot funeſtis malis iamdiu caruiſſet mundus,& feliciter Eccleſia increſcens ægrè feciſſet Satanæ & ſceleratiſſimis adminiſtris eius. De perſeuerantia diximus;iam de altero illo quem propoſuimus loco, de finibus, inquam, & terminis ad perſeuerantiam conſtitutis videamus.

Fines quibus ſeſe religioſiſſimè perſeueran-

tia

tia sanctorum continet, proponuntur his vocibus, *In portis tuis.* Describuntur autem allegoricè, vel potiùs typicè, pro commoditate Ecclesiæ, quæ tum in gente Iudæorum fuit. Quapropter antequam de argumento dicamus, aliquid delibandum est de isto priscæ Ecclesiæ vsu, secundum typos à Deo institutos Ecclesiam catholicam, & partes, & attributa illius in Scripturâ adumbrantis. Quæcumq. igitur hoc modo enunciantur de Hierosolymis, ciuitate Dauidis, Sione, domo Iehouæ, & similibus, pro ratione locorum variam habent interpretationem. Ea autem est triplex. Nam aut secundum rem naturæ fit enunciatio, aut secundùm aliquam figuram veritatis, aut secundùm veritatem figuratæ gratiæ. Secundùm rem naturæ, siue (vt loquuntur vulgò) per naturalem modũ intelliguntur Chananæa, Ierusalem, Sion, &c. quum intelliguntur prout fuerunt in naturâ rerum, citra diuinæ relationis per gratiam institutæ contemplationem. Nam ex eo quod singulari instituto Deus hæc sanctificauerat, nõ est mutata earum rerum natura, quin Chananæa regio esset, vt aliæ, & Ierusalem ciuitas, & Sion mons, vt antè fuerat, & pòst etiam permansit in rerum naturâ; sed eandem naturam suam in se singula habuerunt. Atque hoc sensu interdum in sacra Scriptura nominantur. Secundùm figuram aliquando in Scripturis vsurpantur eadem nomina, propter symbolicam

bolicam vel sacramentalem (vt vocant) relationem ad res diuinas, quæ ipsis adumbrabantur, non ex natura ipsarum, sed institutione & ordinatione Dei: Quæ institutio non tollebat id quod naturâ erant, sed tantùm efficiebat, vt id ipsum quod in rerum natura exstabat, quendam velut colorem & lucem relationis ad res spirituales institutione Dei acciperet. Itaque factum est non rarò, vt nomina eiusmodi figuratiuam significationem in verbo Dei habuerint. Secundum veritatem gratiæ tertio modo (vt antè diximus) hæc eadem nomina vsurpãtur pro iis ipsis rebus spiritualibus quas instituto Dei figurabant: quemadmodũ hoc nostro tempore, vt iusta fiat harum enunciationum quæ in Testamento vetere sunt accommodatio, accipi eas à nobis necesse est. Nam Ierusalem, quæ in Testamento vetere dicitur, nunc Ecclesia est: eodemque modo portæ, quæ à Propheta hoc loco nominantur, fines seu termini Ecclesiæ non muris aut portis definiti, sed animo & cogitatione interpretandæ sunt. Alioquin etiam non rarò vsu veniebat in priscâ illâ Ecclesiâ, vt tria hæc interpretationum genera in comprehensione vnâ simul concurrerent: vt nomine Chananææ tum regio quâ erat in naturâ rerum, tum figura quæ ad veritatem gratiæ diuinæ Ecclesiæque significandam fuerat à Deo instituta, tum denique veritas ipsa qualis in Deo & apud Deum est, non autem in natura,

turâ, aut figurâ solùm intelligeretur. Atque in hanc sententiam pij nomen portarum hoc loco in prisca Ecclesia acceperunt. Nam & ad portas vrbis Hierosolymorum respiciebant, prout erant in natura rerum, & ad figuram relatiuam ipsarum, prout Dei ordinatione & verbo figurales credebant esse, & ad veritatem ipsam portis (vt ita dicam) temporalibus figuratiuè & sacramentali modo adumbratam. quemadmodum & in Sacramentis nostris aquam, panem, vinum, tum materiam elementarem, tum relationem figuralem, tum figuratam ea veritatem appellamus. Nos verò ad quos plenitudo temporum peruenit, non respicimus ad materiales portas, quæ iam diu esse desierunt; non ad figurales propriè, cùm id quod non est in natura rerum figura esse non possit alterius, prout vulgò dicitur non entis non esse accidentia; sed tantùm veritatẽ spectamus gratiæ quam Deus portarum nomine figurauit.

Vt ergo de veritate constet, id primùm ad hæc nobis tenendum est, has portas in scripturis synecdochicè appellari, tum rei illius terminos quæ agitur, tum rem ipsam totam suis terminis circumseptam, tum denique ius, auctoritatem, dominium, administrationem que, & vsum illius. Nam etsi muri vrbis cuiusque portis iuncti constituunt terminos: tamen excellentiore quodam modo dicuntur portæ ciuitatum termini, quia intus & foris commoditate

porta-

portarũ efficiuntur omnia quæ ad vſum opidorum vtilitatemq. pertinent: muri autem termini cæci ſunt (vt ita loquamur) non ad actiones quaſuis ciuitati cõmodas, ſed ad tegumentum & defenſionem ſolummodò comparati. Quòd autem extremitatum appellatione id totum intelligatur quod illis comprehenditur, nemini homini inſolens videri poteſt, qui in ore vulgi innumeras eiuſmodi locutiones animadverterit, continens pro contento, vt vocant, vſurpantis: vt crumenam petens pecuniam petit. Quòd autem poſtremò pro iure, auctoritate, potentia, adminiſtratione, & vſu ſignificando dicuntur portæ, id à communi more priſci illius ſeculi profectũ eſt. Nam ad portas munitiones erant, armamentaria, baſilicæ, fora, & conuentus dicendi iuris, vt multis Scripturæ locis confirmatur: Vnde mos ille obtinuit, vt ius, auctoritas, conſilium, potentia, & vires omnes portarum
Mat. 16. nomine notarentur. Quo ſenſu dicebat Chriſtus, aduerſus petram & ſuperſtructam Eccleſiam non eſſe præualituras inferorum portas. Hîc verò non agitur de portis Eccleſiæ fabrefactis & materialibus, non de corpore ciuitatis aſpectabilis, non de ordine humano aut potentia vlla carnis; ſed de corpore ipſo Eccleſiæ: quod cùm ſpirituale ſit quà Eccleſia eſt, portarum quoq; appellationẽ ſpirituali modo oportet intelligamus. Sunt igitur portæ Eccleſia ipſa, & ſancti illius fines & termini à Deo circumpo-

cumpositi Ecclesiæ atque constituti ad corporis vnius coagmentationem, & iustum ordinem gubernationemque illius.

His portis à Deo positis, personæ, res, & actiones quæ coram Deo in Ecclesia sunt, continentur. Personæ, à Deo vocatæ; res à Deo datæ; actiones denique à Deo in Ecclesiam præstitæ, & in ea nobis imperatæ. Cùm itaque Sancti testantur palàm *pedes suos esse consistentes in portis Hierosolymorum*, ad tria illa respiciunt; Deoq. & Ecclesiæ spondent, se tanquam personas à Deo electas atque vocatas gratiosè, perseueraturos apud se & inter se coram Domino in Ecclesia eius vti rebus à Deo datis, se laborem consumpturos in actionibus eius percipiendis, & in obseruandis colendisque operibus ab ipso imperatis occupatum iri. Cùm autem rerū & actionum, quarum aliæ in priuato & singulari vsu, aliæ in publico ordine positæ sunt, modus deinceps sequentibus versibus exponatur, hæc omnia eò sumus reiecturi. Id vnum quàm diligentissimè recordari pios necesse est, perseuerantiam qua vtuntur homines extra Ecclesiam, aut etiam in Ecclesia, extra fines à Deo constitutos, damnabilem esse pertinaciam: omnes autem laborem suum, operam, atq. industriam eò conferre oportere, vt non solùm in Ecclesia sint, sed etiam ex Ecclesia sint, & tanquam germana membra illius in rebus & actionibus decentibus vocationem suam indesinenter sese exerceant:

exerceant: atque etiam siquæ dubiæ sunt, siquæ incognitæ, de iis quærant, & consulant, quemadmodū in portis olim singuli functiones suas solebant cognoscere, & ab iis qui cōmuni præerant mandata diligentissimè accipere, fidelissimeque exequi. Nam quæcunque Christianus sentit vocationi suæ tum communi omnium, tum etiam singulari atque (vt vocant) personali conuenire, ea vltrò defungitur: de quibus verò nihil planè, aut non satis informatus videtur sibi in animo & conscientia, certam eorum rationem ex Dei verbo, aut certis administris illius fidelibusque dispensatoribus, antequam ad opus accingatur, religiosè cognituras est.

Hac perseuerantia piorum hominum finibusque positis, de testibus videndum est, qui à filiis Dei hoc loco appellantur. Ac testium quidem, ante quorum oculos decet nos obire vocationem nostram, multa sunt genera. testem enim habemus vniuersorum, & rerum etiam abditissimarum cognitorem, qui etiam iudex futurus est, Deum. Huius testimonium sanctè coram hominibus, vbi alia testimonia non prosunt, ex pietate, veritate, & charitate appellamus. Testes itē habemus angelos è cælo, communi Domino cum ecclesia obsequentes, & ciues Hierusalem illius in cælis: qui & intuentur faciem patris nostri qui in cælis est, mandata illius accepturi, & minimorum etiam puerulorum curam gerunt, prout iubentur à Domino, Mat. 18.

& in

& in Ecclesia hîc obseruant studiosissimè multiformem illam sapientiam Dei : neq. id solùm in opere gratioso spiritalium benedictionum eius, sed etiam in externo illo ordine, qui conuenienter cum interna illa Dei gratia in communione sanctorum coniunctus est: quò spectans dicit Apostolus, à muliere potestatem, id est, potestatis signum haberi in capite propter angelos: denique in rebus piorum gestis & perpessionibus: de quibus dicitur eadem epistola Dei seruos etiam angelis spectaculum factos esse. Testis præterea à mundus est, coram quo similiter sancti fiunt spectaculum, vt ibidem affirmat Apostolus : adeò vt non dubitauerit Episcopo ministranti in Ecclesia Dei legem hanc indicere, vt etiam ab extraneis bonum habeat testimonium, ne in probrum incidat & laqueum Diaboli. Testes deniq. habemus priuatim sanctos quosque, nobiscú in Dei Ecclesia conuersantes : quorum testimonia eo pluris fieri à nobis necesse est, quòd domestici sunt illius domus, cuius & nos. Ex his omnibus, & aliis quoque testimoniis vnicum Propheta hoc loco adhibuit, & apud hunc testem cogitationem, studium, officia sua professus est : nimirum Ecclesiam Dei. Non quòd idem apud Iehouã Deum suum fideles non profiterentur : nam quisquis in Ecclesia professionem hanc adhibet, apud Deum profitetur, qui indesinenter in Ecclesia habitat, eamque sanctificat lauacro regeneratio-

Ephes. 3.

1. Cor. 11.

1. Cor. 4.

1. Tim 3.

nis per verbum. Non etiam quòd angelorum testimoniũ Ecclesia prisca nescíuerit, cui Deus quamplurimis angelorũ significationibus crebrò testatus est præsentiam suam. Non quòd mundi ipsius refugerit testimoniũ, coram quo nos omnes confiteri Deum & Christum necesse est, ac non negare beneficium eius. Sed testimonium Ecclesiæ q̃uoties adhibetur, & quoties apud eam quod partium nostrarum est ex animo profitemur, toties cor̃ā Deo & angelis eius eadem opera officium facimus: quod officium domestici solùm vident, non vident exteri. Videt ergo Deus officium hoc & probat, vt Dominus iustus domus: Vident angeli, vt conserui in eadẽ domo: Videt Ecclesia & membra illius nobiscum versantia, vt custos beneficiorũ Dei & mater nostra omnium in Domino, ac proinde eodem iure custos professionis nostræ erga Dominũ Deum nostrum. Hanc verò professionem non videt mundus, quia oculis carnis videt: sed optimè videt Ecclesia secundũ Deum, quia sanctos oculis fidei cernit in charitate & vnitate spiritus. Rectissimè itaque pij apud Ecclesiam profitentur sanctam professionẽ hanc, tum quia eadem opera Deum & angelos ipsos certissimos testes habent eorum omnium quæ in Ecclesia faciunt, tum quia singulari quodam instituto & conuentione Ecclesia est communis depositaria Dei pariter ac nostri: nam in ea Dominus exposuit thesauros suos à piis singulis

deliban-

152

delibandos, & vicissim in ea pij exponunt vota sua & professiones quasque pietatis suæ, vt coram Domino acceptæ sint in vnitate corporis Christi. Hanc fidelem depositariam olim appellabant pij, cùm Hierosolyma nominarent: idque iisdem modis, quos proximè declarauimus cùm de portis Hierosolymorũ ageremus. Vrbs enim Hierosolymorũ aut secundùm naturalem illam materiam, aut secundũ figuram, aut secundùm veritatem à sanctis illis hominibus enunciata est. Hîc triplex modus simul concurrebat, cùm pij verbis Prophetæ istis vterentur: Nam & materiatam Ierusalem videbant, & figuram cernebãt qua vestiebatur materiata Ierusalem instituto Dei, & in veritate velut anima illius conquiescebant, quia Deus præsentiam suam gratiosam prolixè in ea confirmabat.

Prodest autem piis huiusmodi Ecclesiæ appellatio plurimum, facto, & exemplo. Facto prodest, quia singuli hoc facto officium suum erga Ecclesiam probant (quid enim piæ matri non debeant pij filij?) & quia Ecclesiam prouocant ad officia in prolem morigeram & officiosam maiore cũ fructu & alacritate maiore præstanda: Illi præstamus singuli personalia officia nostra; illa verò dispensat nobis tum communia omnibus quæ habet, tum etiam singulis personalia ad ædificationem nostram. Atque hoc illud est quod antè diximus, Ecclesiæ partes

esse has secundum Dominú, vt tum de portis suis exhibeat testimonium, tum de membris agentibus intra portas suas. Nam ex portis suis (vt ita loquamur) depromit iura Dei quæ in sinu habet; de membris verò testimonium edit, siue intus piorum singulorum mentes instituendo, & cõsolando, & recognoscendo ex verbo Dei & fide ipsorum obedientiaq. fidei, siue foris in communione sanctorum fouendo atque educando: immò (quod amplius est) aberrantes castigando, & veluti salutari manu ad gremium suum reuocando indulgentissimè. Quemadmodum autem hæc facta singulis nobis vtilitatem adferunt, sic etiam aliis exempla commodissimè offeruntur ad ædificationem filiorum Dei. Quapropter illi quoque ipsi qui in hunc modum instituunt vitam suam, in scripturis sacris fideles testes Iesu Christi & Ecclesiæ eius nominantur. Neque dubium est quin eôdem pij respexerint, cùm hoc loco non seorsim apud se singuli, sed coniunctis operis publicè in Ecclesia prædicarẽt, *consistentes sunt pedes nostri.* Poterat quidem separatim quisque dicere, Consistentes sunt pedes mei; Sed hæc communio sanctorum, hæc sanctimoniæ communicatio, vt suis actoribus ex facto prodest, ita spectatoribus exemplo, & auditoribus hortamento.

Ecquis iam adeò demens aut furiosus est, vt non videat quantas vtilitates piæ illæ animæ

iucunda

iucunda hac prædicatione & professione officiorum suorum fore animaduerterint? Quod autem in illis videmus, agite, demus operam vt ipsi quoque in nobis videamus. Si non videmus, vt profectò multi sunt oculis capti, quibus princeps huius mundi oculos mentis ipsorum excæcauit ne credant veritati, discant illi Deo auctori gratiæ sese committere, quem auctorem naturæ sciunt: Discant prælucente Domino ex verbo ipsius, sè hîc in via esse, ac potius in biuio, quod Christus elegantissimè nobis figurauit: Discant viam quæ fert ad salutem Ecclesiam esse, cuius humilitas non debet quemquã auertere à via salutis ineunda: Nam iter angustum ad salutem est. Discant sibi pedes & cõmoditatem ad instituendum iter suppeditari gratiosè à Domino, si verbo promissionum eius crediderint: Discant, ex quo in Ecclesia sunt, animum & vires sibi à Deo ingenerari & augeri, quò sint consistentes eorum pedes, nec aduersarum procellarum impetu deturbentur, prout Dominus in Ecclesia est præsentissimus: Discant denique Ecclesiam Dei muris & portis munitam esse quas Deus ante oculos pictas & manui inscriptas habet, quemadmodum per Isaiam pronunciauit, vt tum impetus omnes hostiles & tela aduersantia frangant quiescentes sub vmbra alarum Domini, tum ad omne officium in pietate, iustitia, veritate, & charitate adducantur. Nos verò qui iam

Mat. 7.

Dei beneficio immerentes, inuiti, repugnantes, ad lucis illius admirabilis participationem vocati sumus, & qui hac luce freti videmus mysteria Dei in Ecclesia eius exposita, quæ non videt mundus, & spiritalem fructum ex eis communiter ac singulariter percipimus in Christo Iesu, quanto studio, quanta religione, quanta contentione pietatis ad hæc omnia recognoscenda in Domino, in ecclesia, in fratribus nostris, in nobis ipsis opus est accurrere? qui Ecclesiam nouimus Dei domum esse, qui salutem à Deo in Ecclesia quodammodo depositam, qui pedes nostros diuino ductu in ea collocatos, qui eadem virtute pedes ibidem consistentes omnium procellarum impetum proculcare, qui nos à Deo Ecclesiaque curari in portis illius quamfidelissimè, qui denique omni benedictioni spirituali in locis supercælestibus in Christo nos locupletatos esse, quo vsque tandem operibus nostris & conuersatione ementiemur lucem diuinæ veritatis in nostris mentibus & conscientiis radiantem? Quin potius Deo, Ecclesiæ, fratribus, & nobis ipsis tribuimus singulis quod suum est? Iam plus satis à Deo auertimus mentes, animos, & officia pietatis omnia, quibus nos obstrictos esse iamdiu Deo auctore, restante verbo, conscientia fodicante nouimus. Iam plus satis eripiuntur ab Ecclesia Dei illa trophæa, quæ adolescentes ingenui matribus naturâ duce solent refundere, ac

potius

potiùs (vt vno verbo dicam) deripiuntur de Ecclesiâ membra viuentia Domini, quæ pretioso sanguine suo comparauit, impietate, iniustitia, & inhumanitate, addo etiã imprudentia indignissima eorum qui velut columnæ Christianitatis dici & haberi volunt. Iam plus satis in fratres nostros iniqui fuimus, & grassantur in Ecclesia Dei pastores qui pascunt se ipsos, adipem comedentes, lanam induentes, quod opimum est mactantes, gregem non pascentes, ouem Christi morbo affectam non confirmantes, ægrotam non curantes, confractam non obligantes, depulsam non reducentes, pereuntem non requirentes, sed vi dominantes in gregem Christi & per sæuitiam, adeo vt dispersæ sint oues Christi destitutæ pastore, & sint cibo omnibus bestiis agri, dispersæ, & fraudi, violentiæ, atque tyrannidi impotentissimorum hominum expositæ. Iam plus satis ruimus præcipites in perniciem nostram; & quamuis cum animis nostris veritatis diuinæ & gratiæ in Ecclesia conscij, tamen delicias facimus in ignoratione, infirmitate, & aberratione nostra. Videamus igitur deinceps, si vis facienda est, (est autem) vt nobis ipsis vim sanctè faciamus, memores illius quod olim dicebat Christus, rapi à violentis regnum Dei: qui in carne cæci sumus, videamus in Spiritu; qui infirmi, confirmemur; qui dormientes, excitemur; qui segnes, animemur; qui frigentes aut etiã tepidi, inardescamus ad illa

Ezech. 34.

Mat. 11.

pietatis in Deum, veritatis in Ecclesiam, iustitiæ & charitatis in fratres, & sanctimoniæ in nobis officia, quæ Deus imperat. Deum nouimus, Ecclesiam nouimus: & nos igitur, & fratres in Ecclesia noscamus, obseruemus, & colamus studiosissimè; pedes nostros & ipsorũ pariter confirmemus facto, sermone, & exemplo; consistamus in Ecclesia Dei, neque sinamus nos ab ea quacunque specie dimoueri; in portis Ecclesiæ disciplinam Christi & Ecclesiæ, quam maxima fide possumus, studeamus discere atq. retinere; & in testimonio Dei Ecclesiæq. ipsius piorumq. omnium Deo in Ecclesia obsequentium conquiescamus, vt fructum illum tranquillum iustitiæ & gloriæ superatis hostibus salutis nostræ Dei virtute reportemus in Christo Iesu. Faxit Dominus Deus salutis nostræ.

3. *Hierosolyma constructa, vt ciuitas quæ coagmentata est in sese pariter.*

ADHVC sequuti vestigia Prophetæ & priscæ illius Ecclesiæ, de piorum lætitia diximus ex causis singularibus: nempe quòd pij singuli cùm sibi ipsis, tum suis fratribus sermone acclamant, & operibus suis adiumento sunt, vt Ecclesiam Christi incant, & in ea perseuerent quam maxima fide ac religione possunt: Huius rei aspectu & cõscientia ingenerari mentibus ipsorũ & inualescere spirituale gaudium,

quo

quo singuli in fide & obsequio Dei magis ac magis confirmentur. Deinceps videndum nobis est de causis communibus eiusdem gaudij, prout tribus versibus huius Cantici (quorum hic primus est) eas diximus contineri. Neque enim Christiano homini satis esse debet, quòd se & aliquot alios, qui proximè aderunt, facientes officium animaduerterit, nisi etiam vniuersitatem Ecclesiæ animo contempletur, & communi gaudio de bono communi illius saturetur. Quemadmodum enim nullum membrum in corpore humano ita est ἀυτόνομον, vt se solum curet aut ea ipsa quibus proximè coniunctum est, sed naturæ instinctu quodam corporis integritatem suam integritatem putat; ita etiam pios in vnum corpus coalescentes Spiritus vnitate, cuius corporis caput est Christus, omninò decet cum membris non modò proximis & coniunctissimis, sed cum omnibus etiam quæ Spiritus adunat quàm longinquissimè communicatio. Etenim quod priuati hominis, vt singularis membri, gaudium esse potest, si commune corpus in quo agit malè habuerit? aut quæ salus expectanda membro, si cõtabescit corpus? contrà verò, quod gaudium singulari membro deesse potest, si valere corpus animaduerterit? quòd si ipsum singulari quodam modo afficiatur malè, quod malum ipsi graniter damnosum esse potest, si commune bonũ corporis ipsi futurum est bono, & vires cõmunes suas ad sin-

gularis membri commoditatem collaturum? In hunc modum Prophetæ sancti & prisca Ecclesia Dei à singularium membrorũ bono & boni conscientia, docuerũt nos omnes ad boni communis explorationem & sensum assurgendum esse, vt veram lætitiã assequamur; quandoquidem nec diuturna est lætitia membri pereunte corpore, nec certa pernicies eius, si quo malo infestabitur, valente corpore, & ad confirmationem laborantis membri accurrente. Nunc ergo secundum hoc causarum genus videamus, quibus recreantur pij, & in omnibus rerum difficultatibus consolationem certam adipiscuntur, gaudent, atque gloriantur.

Positis antè priuatis & singularibus causis Christiani illius gaudij, cõmunes iam tribus his versibus afferuntur, quarũ hæc summa est: Pios priuato & singulari quidẽ respectu quem in superioribus exposuimus, sanctã lætitiam animis suis percipere; sed longè maiori lætitia affici ex communis boni contemplatione, quod bonum in Ecclesia cernunt, & ab Ecclesia ad se sentiunt deriuari: tum quia hac recognitione bonorũ in Ecclesia recognoscũt Ecclesiam, tum verò quia suam ipsorum cõditionem in Ecclesia ipsa sentiunt, & sibi de ea gratulantur. Bonorum autem quæ ad Ecclesiæ cognitionẽ, & ad membrorum eius ædificationẽ faciunt, ratio duplex hoc loco ponitur. Nã primùm absolutissima Ecclesiæ in se coagmentatio proponitur, hoc versu; deinde

verò

156

verò officia omnia ad coagmentationem illam pertinentia atq. indesinenter in ea profluentia, duobus sequentibus. Atq. hæ duæ res omninò sunt opus ad piorum confirmationẽ: quemadmodũ in symbolo Apostolorũ, postquam professi sumus nos credere sanctam Ecclesiam catholicam, illicò subiicimus, cõmunionem sanctorum; cuius communionis modus in hoc versu, opera sequentibus duobus exponuntur.

Atque hæc quidem descriptio Ecclesiæ vel domus Iehouæ (vt antè fuit appellata) tum quidem erat necessaria, cùm locus Hierosolymorum ad symbolum sanctæ Ecclesiæ recens constitutus esset; prout principio ostendimus fuisse locum nuper à Deo designatum, & gratulante populo celebritatẽ maximam fuisse indictam, vt cultus Dei semel eo in loco institutus Deo auctore permaneret. Sed si tum necessaria fuit hæc circumscriptio, certè multo magis necessaria videtur esse his miseris temporibus, quibus omnes certatim sibi Ecclesiam arrogant: nec præfidentiores vlli doctores aut duces ad demonstrandam Ecclesiam existunt fermè, quàm ij ipsi qui nec Deum, nec Ecclesiam, nec proximum, nec seipsos norunt, aut etiam si norunt (proh dolor) non possunt ipsi à se discedere, & sibi renunciare, vt Deo, Ecclesiæ, proximoque cedant, & cõsulant saluti suæ. Quia igitur, si qui hæc lecturi sunt, statim obiicient: At quænam hæc Ecclesia est, quam Spiritus Dei hac magnificentia

ficentia verborum prædicauit? hoc illi à nobis responsum habeant: primùm sapientissimè à Spiritu Dei magnifica hæc verba ad commendationem Ecclesiæ adhiberi, quia parui vel potius minimi, addo etiam nullius pretij à plerisq. omnibus censetur esse: qui nihil sibi, carni, & sensui suo non arrogant, vt quiduis de Ecclesia derogent: Deinde verò nos paratos esse, si viri boni esse volent, cum ipsis bene agere, & Ecclesiam quam sibi ostendi volunt ex veritate & in simplicitate demonstrare. Ex veritate: nam verbum Dei sequemur ducem, & (ne abeamus longiùs) ex his ipsis Prophetæ & priscæ Ecclesiæ verbis exponemus: nam verbum Dei est veritas, & verbum vitæ æternæ. In simplicitate autem, quia sepositis omnibus argutiis & verbis humanæ sapientiæ, enuntiaturi sumus de hoc argumento quæcunque nos hîc docet veritas, vt omnes hac ratione (qui fructus est maximus, de quo antè diximus) tum Ecclesiam in Deo, tum nos in Ecclesia noscamus, & lætemur de hoc vtroque bono lætitia illa spirituali, quam sancti olim professi sunt.

Ecclesiam ergò, diuinum argumentum lætitiæ nostræ, Propheta hoc loco descripsit atque commendauit duobus nominibus, vt studium piorum àdeundi eam & permanendi in eâ magis ac magis accenderet: quum ostendit primùm quid sit Ecclesia in se, deinde quæ officia & operationes in ipsa, ex quibus internosci possit.

sit. Nam quod plerique omnes hoc tempore conqueruntur, id certissimum est, Ecclesiam, vt in se est, non facilè ab hominibus cognosci posse, sed notas illius obseruari foris oportere. Habet quidem Ecclesia in sese notas, sed quas ij solùm vident, qui in Ecclesia sunt: Sed quæcunque foris existunt notæ, eæ à domesticis optimè, ab exteris etiam aliquo pacto, etsi non optimè, videri possunt. Hunc igitur ordinem Propheta seruans, Ecclesiam, prout in se est, hoc versu describit, dicens: *Hierosolyma constructa, vt ciuitas quæ coagmentata est inter se pariter.* Meminisse autem velimus lectores eorum quæ antè diximus, de Hierosolymorum interpretatione. Fuerunt materialia (vt ita dicamus) Hierosolyma in natura rerum: Fuerunt figuratiua & sacramentalia instituto: Fuit veritas figura sacramentali adumbrata. Vidit prisca illa Ecclesia materiatam vrbem Hierosolymorum: accepit à Deo figuræ institutum & coluit: Credidit veritatem, & prehendit fide: quam nos eadem fide percipimus, postquã materiata Hierosolyma perierunt, & figuræ sunt à Christo antiquatæ. Est ergo in hoc loco nomen Hierosolymorum sic accipiendum atque si perscriptum à Propheta esset, Ecclesia constructa, &c. de qua Ecclesia cùm tantopere hoc nostro seculo laboretur, audiamus quid Propheta dicat, & insequamur vestigia illius ad perquestigandam in veritate Ecclesiam Dei.

Dicit

Dicit ergo; *conſtructa vt ciuitas quæ coagm. &c.* Quibus verbis oſtendit Eccleſiam in ſe ipſa ædificium eſſe, deinde oſtendit ædificationis modum. Nam ædificium eſſe pronunciat dicens, *Optimè conſtructam*: Modum verò ædificationis ſequentibus declarat, dicens; *vt ciuitas quæ coagmentata eſt inter ſe pariter.* Sed quemadmodum Hieroſolymà in typo & figura dicta ſunt, pro eo quod eſt Eccleſia; ſic etiam attributa hæc ſecundum modum illius figuræ & typi conſcripta ſunt: Et quod tum in opere materiatum fuit, nunc in opere citra materiam illam intelligendum eſt, quia Eccleſia opus ſpirituale eſt. Nam etſi homines (vt antè diximus) materia ſunt Eccleſiæ, tamen non ſunt materiati ſecundum animam, quod eſt præcipuum ipſorum: deinde Eccleſiam forma, non materia facit: ac proinde homines in Eccleſia & de Eccleſia ſunt, quà is qui forma Eccleſiæ, in eis eſt: quam formam in verſum primum declarauimus, cùm de domo Iehouæ diceremus. Poſtquam igitur formam illam eſſentialem & internam ex Prophetæ verbis cognouimus, iuſtiſſimum eſt & ordini conuenientiſſimum (quemadmodum Propheta fecit) vt quæcumque huic formæ adiuncta ſunt neceſſaria cognoſcamus: Cumque res omnes à forma habeant ſuum eſſe & operationes ſuas, vt ex eodem auctore; quid illa forma in materia efficiat, & quid per materiam, doceamur.

Efficit

158

Efficit ergo forma illa quam suprà diximus, vt Ecclesia sit ædificium spirituale, & vt sit ædificium omnibus modis vnum. Etsi non temerè à Propheta dicitur, *Hierosolyma ædificata*, pro eo quod nos dicimus, Ecclesia ædificium. Nam hac ratione duo voluit Propheta à nobis obseruari, quid sit, & à quo sit effecta ac potiùs efficiatur id quod est. Est enim ædificium, & quidem ædificatum ab eo qui solus diuinitus diuinam ædificationē potest instruere, & quod in dies ædificatur per gratiam illius: quemadmodum etiam Apostolus ad Hebræos hanc domum à Christo Iesu constructam prædicat, & subesse illius vt filij imperio ac gubernationi. *Heb. 3.*

Hoc fundamento vniuersè posito, Ecclesiam esse ædificium Dei, Propheta transit ad declarationem modi vel conditionis diuinæ, quam in Ecclesia vident solùm ij quibus Deus illuminauit mentis oculos vt videre possint. Dicit enim, *vt ciuitas coagmentata inter se pariter*; & seruato semper eodem simili, tria de conditione communi Ecclesiæ Dei prædicat: Primùm quidem ciuitatem vel quasi ciuitatem esse; tum ciuitatem optimè inter se coagmentatis partibus; postremò dignitatem maximam & ciuitati inesse, & singulis partibus illius, eo quòd inter se pariter coagmentata sint omnia.

Quod itaque primùm *ciuitatem* esse dicit, simile alterum est ab eo, quod primo versu positum est, cùm domum Iehouæ appellaret: sed tamen

tamen vtrumque Eccleſiæ catholicæ optimè cõuenit. Nam eadé eſt vna domus, ſi ad Deum inhabitantem in ea reſpexeris: & vna ciuitas, ſi reſpexeris ad incolas eius vni Deo, & vni Domino vnâ fide, vno baptiſmate ſeruientes, & adhærentes in vnitate ſpiritus. Quemadmodum etiam (quod eſt auguſtius) vnum corpus appellatur, quà ſubeſt vni capiti & viuit de vita illius in ſpiritus illius vnitate. Ac proinde vt corpus vnum ex membris compluribus, domus vna ex lapidibus, ciuitas vna ex domibus coagmentata & conſtituta eſt, ita etiam Eccleſia ex variis velut membris, lapidibus viuis, ædibuſque conſtare dicitur.

Ad hanc autem conſtitutionem ſiue corporis, ſiue domus, ſiue etiam ciuitatis, neceſſaria ſunt multã, communia pleraque, pauca ſingularia. Communia ſunt hæc: principium, quod à Deo (vt Apoſtolus ad Hebræos loquitur) conſtructa eſt, & adhuc conſtruitur continetúrque & eſt virtute illius; finis, quòd ad Dei gloriam inhabitantis ipſam; materia, quod ex hominibus, vt membris lapidibusq. viuis, ad hanc ſpiritualem ſtructurã pertinentibus: forma, quòd quatenus corpus, domus, ciuitas Chriſti eſt, quatenus ſuam relationem ad ipſum habet, & viciſſim Deo optimo maximo viſum eſt relationem ad ipſam habere per gratiam & εὐδοκίαν ipſius: tum etiam actionis modus, quòd ædificatur adhuc & colligitur per verbum Euange-

lij, &

lij,& illa verbum accipit quo adiungatur Christo, & maneat in ipso, prout Euangelicis promissionibus declarauit Christus: postremò effectus multiplex,quẽ Ecclesia in genere agnoscit, cùm à se prædicat credi sanctorum communionem,prout est cõmunio membrorum in corpore, partiũ in domo,& in ciuitate ædium. Ex quibus omnibus illud conficitur, Ecclesiam Dei tum reipsa vnã esse, prout corpus, domus, ciuitas sunt aliquid vnum: tum etiam iure vno esse,prout corpus,domus, ciuitas iuri vni subsunt, & ex eo administrari solent.

Veruntamen in hac communione & rei & iuris,quædã inueniuntur singularia, prout singulis in corpore membris,in domo partibus,in ciuitate domibus suus ordo,suæque functiones attributæ sunt. Nam primùm in ipsa velut materia domus, corporis, aut ciuitatis, partes aliæ ab aliis inter se differunt proprietatibus singularibus, quas in Ecclesia personales possumus appellare: cũ nec omnia membra idem sint,sed eiusdem corporis membra; nec eodem ordine sint, sed eodem corpore: similiterq. nec omnes lapides domus,nec ædes ciuitatis singulæ. Deinde habitu & officiis inter se differunt, prout à Deo distinguuntur donis & vocationibus: quas vocationes rursum Apostolus distinguendas docet duobus modis; cùm respectu operæ siue actionis, administrationum meminit; respectu verò operis siue effectus ostendit diuersas esse 1.Cor.12.

ſas eſſe operationes: ſecundum quæ, quamuis inter ſe plurimum differentia, membra ſingula Eccleſiæ ita occupantur in iis muneribus quæ præſcribit Deus, vt vnus & idem Spiritus omnia efficiat in omnibus pro demenſo donationis Chriſti. Quapropter expendant Chriſtiani, quantopere indignum ſit vocatione ipſorum, & honore quem Deus ipſis habere dignatus eſt in filio dilectionis ſuæ, ſi aut membra corporis, aut lapides domus, aut ciuitatis partes, quas Deus adunat gratioſè, animo ingratiſſimo diuulſerint atque diſperſerint: Et quia hoc tempore Deus in colligendo ſanctiſſimo illo corpore, templo, & ciuitate operam ſuorum occupat, quantopere ab iis alienum qui Chriſtiani audiunt, ſi membra quæ Deus aduocat deterruerint, quę adducit depulerint, & in eos ſint iniurij quibus gratiam facit Deus, aut ſpes oſtenditur facturum eſſe.

Quòd ſi hæc omnia vel hac vna ciuitatis appellatione nobis oſtenduntur; quanto magis, ſi ad modum ciuitatis illius venerimus, veritatem iſtorum omnium ſentiemus, & officium charitatis animaduertemus præſtari à nobis oportere? Nam Eccleſia non quoduis ædificium aut vulgare appellatur, ſed reipſa præſtantiſſimum (vt ſequentibus verbis exponitur) & dignitate nulli in cælo aut terra poſtponendum. Hanc dignitatem (vt antè perſtrinximus) duobus modis Propheta oſtendit: quod eſt vt ciuitas coagmentata

gmentata inter se membris ipsius, & quòd pariter coagmentata est: quibus duabus in rebus interna illa sanctorum cōmunio versatur, quam antè diximus. Nam quòd pariter coagmentati sunt qui in Ecclesia sunt, illud est à communione Dei & Christi sanctificantis ipsos: quòd autem inter se coagmentati sunt in ea, illud communionis est, quam colunt inter se sancti & vocationis sanctæ in Christo participes. Hanc ergo communionem, quam sancti inter se habent intùs, & quam mundus videre nō potest, sed oculus fide purgatus à Domino in corpore ipsius, declarant hæc verba; *vt ciuitas quæ coagmentata est inter se*, nimirum membris suis, ex quibus coagmentata est. Quod item de corpore & domo enuntiari debet. tanquā si dixeris Ecclesiam esse corpus, quod firmè coagmentatis est inter se membris, vel domum coagmentatis optimè partibus.

Huius autem coagmētationis respectus duplex est. Nam est coagmentatio membrorum cum suo capite, partium domus cum fundamento, & regionum cum arce ciuitatis sanctæ: & est eorundem inter se coagmētatio. Ad priorem respectū coagmentationis illa fermè omnia pertinent quæ in versum primum de domo Iehouæ dicebamus: ex quibus constat Deum ipsum essentialem formam esse Ecclesiæ suæ relatione gratiosa. Sed quia non poterat fieri, vt formæ illius capaces efficerentur homines pro-

pter materiæ ineptitudinem (nam potiùs conueniret igni cum aqua, id est, creaturæ vni cum altera, quàm conueniat creaturæ cum creatore suo, finitæ cum infinito) propterea Deus ille & pater domini nostri Iesu Christi singulari dispensatione gratiæ misit filium suum, qui materiã naturæ nostræ sibi assumeret, vt in ea ipsa caput esset istius corporis, & lapis ἀκρογωνιαῖος istius ædificij, denique arx & fundamentum ciuitatis huius, quam Deus exstruxit ac non homo. Hic ergo primus locus coagmẽtationis est: nimirum quòd Christus se adiunxit nobis, & nos item sibi, vt essemus cum ipso vnum, os ex ossibus eius, & caro ex carne eius, denique vt ex
Ephes. 4. eo totũ corpus congruenter coagmentatum & compactum per omnes suppeditatas cõmissuras ex vi intus agente pro mensura vnius cuiusque membri incrementum capiat corpori conueniens ad extructionem sui ipsius per charitatem. Cumque huius capitis, quod dedit Ecclesiæ pater, sit summa perfectio in se, summa virtus in alias res, & summus ordo ad omnia; ex eo
Coloss. 2. sequitur quod dicit Apostolus, prout in eo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, ita nos in eo completos esse, & nostram societatem esse cum filio Dei Iesu Christo, & cum
1. Ioan. 1. patre in ipso.

Ex illa autem societate & communione quam sancti cum Christo habent, omnino sequitur altera hæc consociatio atq. communio,

qua

qua membra inter se consociata & coagmentata sunt, siue (vt Paulus loquitur) constricta charitate Christi. Nam idem qui nos adunauit sibi, eo ipso quod diuersa membra adunat sibi, eadē inter se adunauit. Vnio cum Christo primas tenet, & Christi nobiscum virtute Spiritus; ex hac vnione consequitur vnio sanctorum inter se, & coagmentatio siue compages inuiolabilis, quam nulla res potest dissoluere aut labefactare, quia nullus eorū quem Christo dedit pater de manu eius periturus est.

2. Cor. 5.

Ioan. 10.

Quæ cùm ita sint, facilè Christianus quilibet nobis assensurus est, si imperturbato animo ad hæc legenda & expendenda venerit: non posse quenquam Christianum bona fide renunciare cōmunioni alterius, quem Christus aut adiunxit sibi, aut se adiuncturum spem facit. Nam qui fratrem suum, seruum dei, membrum Christi proteruè abdicat, persequitur, infestat, aut vlla denique iniuria afficit, is eo ipso facto Christum auctorem communionis salutaris nostræ abdicat, qui nos sibi, & alios æquè ac nos sic adunauit & adiunxit virtute spiritus, vt nos vnum esse inter nos voluerit, qui vnum cum ipso sumus. Nam vbi est Christus, obsecro, nisi vbi Spiritus illius? & vbi Spiritus, nisi vbi vita Christi? & vbi vita Christi, nisi vbi viuit, id est, in corpore eius? & vbi corpus vnum, nisi vbi consensus inter membra corporis de vno capite, vno spiritu, & vnâ vitâ communiter

niter viuentia. Quòd si vnum sumus, quomodo in funestam diuisionem essemus ruituri? quod vnum est, id planè indiuisum sit necesse est; quidquid est, eo ipso est, quòd vnum est. Diuisi cùm sumus, non sumus vnum: diuisi cùm sumus, non sumus. Quis ergo obducta nominis Christiani specie mihi persuadeat se Christianum esse, cùm re diuisus est, & animo diuisionem spirat atque interitum? O miseram Christianitatem, quæ in sua diuisione vnitatem, in renunciatione Christi Christianitatem, in interitu suo certissimo vitam sibi spondet imaginaturque, & de eâ nõ secus exultat quàm qui phreneti abreptus dat sese in mare præcipitem, videturque sibi in suauissimo cubili furentia membra sua ad quietem componere. Auertat hanc labem Dominus pro sua misericordia; quam video, & horreo magis an lugeo? horreo casum ineuntem, Christianitatem lugeo pereuntem: nec habeo quod dicam, nisi ex Prophetæ verbis: Propter contritionem filiæ populi mei conteror, atratus incedo, stupor corripit me. an opobalsami nihil est in Galaade? an nullus medicus ibi est? Nam cur non reualescit filia populi mei? cur magis ac magis in suam infirmitatem relabitur? Sed ad rem venio.

Ierem. 8.

Secundus locus, quem in modo coagmentationis voluit Propheta obseruari, est quòd Ecclesiæ membra, aut domus, & ciuitatis huius partes *coagmentatæ sunt pariter.* Pariter? dixerit quispiam.

quiſpiam. & quomodo pariter coagmẽtati ſint qui ſunt impares, qui donis differentes, qui vocationibus diſtincti? Agnoſco lubens non omnia eſſe paria in omnibus ciuitatis iſtius partibus, & corporis huius membris: ſed de coagmentatione, non de perſonis agimus. Ergo vt demus aliquid impar eſſe, aut (ſi ita placet) imparia plurima; tamen quod rei caput eſt, id in omnibus par eſſe res ipſa demonſtratura eſt. Nam ſunt quidem Chriſtiani inter ſe impares donis, quæ admetitur Chriſtus vnicuiq. prout vult; ſunt item impares vocationibus, communibus, & ſingularibus, in quarum officiis dona à Deo accepta occupari atque conſumi neceſſe eſt. In his rebus ſi qui pares Chriſtianos ſtatuunt, morbo animi, non autem ſcientia iudicioque in eam ſententiam adducuntur. Neque obſcurus eſt ille inſignis locus Apoſtoli, vbi differentiam donorum, adminiſtrationum, operationumque agnoſcit in Eccleſiæ membris, & illuſtrat copioſe membrorum quæ in corpore humano ſunt ſimilitudine. Sed etſi in his rebus, tum quas Deus agit, tum quas nos ſecundùm Deum agimus, non mediocris videtur diuerſitas; tamen in capite rei (vt antè diximus) pares ſumus, pariter conſociati Chriſto, pariter Spiritum eius participantes, Spiritum vitæ & ſanctificationis veræ, & pariter vitæ radicem habentes in Chriſto & Spiritu eius, quamuis non pariter vitæ acceſſiones & proceſſus ab illo habea-

1.Cor.12.

habeamus, & actiones operationeſque præſtemus: quemadmodum & taleis ſurculiſque in trunco vita vna eſt, licet nec eadem omnino à trunco accedant omnibus, nec itidem procedant ſinguli, nec folia, flores, fructus edant illi pariter. Eſt autem caput rei & fundamentum Chriſtus, Spiritus, & vita illius. Qui alias res in ſeipſis non perinde habent, neque Chriſti & Spiritus & vitæ fructus pariter explicatos ſentiunt in ſe, aut corã aliis proferunt, hi non continuò extrudi poſſunt ex regno Chriſti, aut frangi eorum animi odioſis comparationibus. Nam ſi ramos & fructus eoſdem non habent; at idem principium, eandem radicem habent: ac proinde cùm in principio & radice & vita ſint pares, pariter coagmentati à nobis cenſendi ſunt. quò reſpiciebat Apoſtolus dicens, nullum per Spi-
1.Cor.12. ritum Dei loquentem dicere Ieſum anathema, & neminem poſſe Ieſum dicere Dominum, niſi per Spiritum ſanctum. Eſt enim relata, etiam minimi cuiuſque in regno cælorum cum Chriſto capite noſtro coagmentatio, qua omnes manemus in illo, & ille in nobis manet: ac propterea prout anima in omnibus corporis membris viuit, & omnia viciſſim in illa, & viuit indiſcreta vita, quæ omnium & ſingulorũ communis eſt: ita etiam in nobis Chriſtus. Par itaque omnium eſt vnio, & communio par: ſed impar à Chriſto quidem; donorũ, vocationum, & operationũ ex communione hac in nos proficiſcentium

ficiscentium modus: à membris verò, ordo, functiones, & operationes impares.

Est igitur Christiani cuiusque officium, vt quam diligentissimè secum ipse reputet, quantam gratiam honoremq. à Deo acceperit, quòd in spirituale illud ædificiũ accitus, & coagmentatione firmissima compactus cum Christo & membris illius, parem cum reliquis suis fratribus sortem hæreditatis & gloriæ in communione Christi adeptus est: Ac proinde quemadmodum interno illo Seruatoris nostri testimonio in fide credit, & suo testimonio in charitate credi desiderat se esse membrum Christi Ecclesiæque catholicæ eius, ita etiam de aliis pro sua in Christum fide & charitate in fratres statuat, eos secum in compagem sanctissimam hanc adducendos curet, adductos cum Christo & Ecclesia eius coaluisse sentiat, honoremque eis tribuat prout honorem à Deo ipsis habẽri videt. Non hîc opiniones hominum quæ fidei Christianæ repugnant, non aduersantes charitati suspiciones, offensiones, odia, aut eiusmodi alia adducenda sunt, vt iudiciis nostris, quæ de aliis temerè facimus, superciliosè indulgeamus. Fides in Christum, qui alterum vocat vt me, & charitas in proximum, quæ me æquè erga illum obligat atque alios erga me, hæc illa sunt quibus nos agi in hac vita decet: vt deinceps neminem secundum carnem cognoscamus, quemadmodũ profitetur de se Apostolus, sed siquis

est in Christo, eum nouam creaturam esse statuamus, & paris nobiscum vitæ dignitatisque consortem. Non sum nescius Hebræam vocem aliter exponi vulgò, & ad solam quantitatem (vt vocant) discretam referri plurimùm, cuius ratione cõstat nos omnes, qui diuisi sumus alij ab aliis, vocari in corporis illius vnitatem. Veruntamen cùm rem introspicio diligẽtiùs, non possum quin ad quantitatem quoque (vt vocant) continuam hanc vocem referam, & hoc in loco intelligam conuenientissimam æqualitatem nostrã omnium in summo illo beneficio Christi participando hac voce declarari, vt in structura iusta omnes partes ad dignitatẽ & firmitatẽ operis sunt suo modo æquabiles. Quæ doctrina plurimum momenti ad cõsensionem & pacem inter eos quos Christus Ecclesiæ suæ accensuit, & porrò vocaturus est, alendam & continendam adiicit. Atque hæc causa est, cur *pariter* potiùs quàm *vnà* visum fuerit Hebræam vocem reddere.

4. *Nam illuc ascendunt tribus, tribus Iah, ad testimonium Israeli datum, vt celebrent nomen* Iehouæ.

POSTQVAM de forma essentiali Ecclesiæ diximus, & communione interna sanctorum, quam illa relatio Ecclesiæ ad Deũ, vt forma essentialis efficit; nunc pro eo ordine quem sapien-

sapientissimè obseruauit Psaltes, de cõmunione externa videndú est, quam interna illa communio perpetuam sibi & inter homines planè necessariam adiungit comitem. Nam si illud verum est quod Philosophi omnes natura teste docuerunt, formæ internæ in re quaque externam à natura respondere, & suam inter vtramque esse conuenientiam; non potuit certè gratia (quæ nimodis omnibus naturam superat) non prouidere atq. efficere, vt formæ internæ quam Deus Ecclesiæ indidit, adhiberetur externa propria, & cum illa tanquam matre conuenientissima. Rem sic habere à natura demonstrat hominis cum animante brutâ comparatio. Hominis enim forma essentialis à natura quantum (Deus bone) anteit formam pecudis? quanto præstantior anima illa est, quam Deus ad imaginem suam secundùm suam similitudinem fecit, & qua hoc figmentum terræ animauit, sentiente illa anima quæ agit pecudes? propterea homini forma longè præstantior, & animæ illi principatum habenti in his rebus creatis & ad res superas euocandæ conuenientior, foris est indita. Sic in rebus cæteris, quæ ordine naturæ progignuntur. Quòd si in natura Deus ordinem sapientiæ suæ hoc pacto demonstrauit, natura autem, si cum gratia comparabitur, tanto inferior est quanto vestigium alicuius est inferius imagine expressa, & ipsa imago homine: non posset sine grauissima in Deum contume-

lia

liâ ſtatui contra id quod antè diximus, Deum formam externam rei cuiuſq. in natura accommodauiſſe internæ, in gratiâ verò operibusque gratiæ illam huic minimè contéperauiſſe: præſertim cùm gratia naturam ſuperet, Imperfectam perficiat,& inſtauret perditam. Stat igitur certum & indubitatum axioma illud, Deum formæ illius internæ in Eccleſia auctoré, etiam externam formam illi indidiſſe pro ratione internæ illius formæ accommodam: Iam verò alterum quoque axioma certum eſt, nec ab vllo homine controuerti poteſt, qui mente ſibi conſtiterit: externam rei cuiuſque formam eſſe internæ indicem,& notam cuiuis ante oculos expoſitam: ac propterea ſi quis de forma interna ratiocinari voluerit eamque comprobare, optimè argumẽta duci ab externa forma, tanquam à ſigno neceſſario quo res certò internoſci poteſt. In hunc modum à forma externa hominis quem videmus, quamuis dormientem, rationale animal eſſe concludimus: ſic de pecude, itemque de arbore, & conſimilibus eadem via poſt omnem hominũ memoriam in recognoſcenda Dei gratia & Eccleſia, tanquam obiecto gratiæ, ſapientes homines argumentati ſunt, & obſeruatis externis Eccleſiæ notis de veritate interna iudicarunt: quemadmodum etiam hoc in loco. Pſaltes explicata eſſentiali forma & interna ἐνεργείᾳ eius, probationem illius ipſius veritatis, quæ à Deo fuit Eccleſiæ indita, inſtituit à forma

forma & ratione externa illius, dicēs: *Nam illuc*, &c. Sic enim ſtatuit, cùm forma externa ſummam ſemper habeat à natura cum interna conuenientiam, & illa ſit huius index apud eos qui tantùm ex indiciis & ſignis iudicare poſſunt; ſe propterea hoc argumento naturali vti, & in recognoſcenda veritate gratiæ Dei & Eccleſiæ in veritate regenitæ per verbum formam externam illius adhibere teſtem. Atque hic quidem modus cùm omni tempore fuit neceſſarius ad veritatem & ſimplicitatem Chriſti Eccleſiæque à mendacio, hypocriſi, & ſimulatione Satanæ adminiſtrorumq. illius ſecernendam; tum verò hoc noſtro ſæculo vt cùm maximè eſt obſeruandus: in quo maxima animorum diſſenſio doctrinarumque varietas extitit iamdiu, & tamen ſingulorum eſt cōſtans & pertinax in ſuis diſſenſionibus, an erroribus? de Chriſto, & de veritate, & de Eccleſia gloriatio. Quod itaq. antè recepimus, idem hoc loco facturi ſumus, & κατὰ πόδας (vt loquuntur) ſequentes Prophetæ noſtri & priſcæ illius Eccleſiæ veſtigia, notas formamque externam illius Eccleſiæ, ac proinde etiam Chriſtianæ ſecundum Prophetæ verba demonſtrabimus.

Poſtquam igitur Propheta ſtatuit illam veram & germanam Dei Eccleſiam eſſe, quam ex forma eſſentiali & proprietatibus internis eius deſcripſerat, probationem dicti illius ſui inſtituit à forma externa eius & proprietatibus

externæ

externæ formæ, tanquam signis euidentissimis & simpliciter necessariis, ex quibus interna veritas cognoscatur. Huius formæ summa est, Externa communio sanctorum, habens suam cum interna communione analogiam. Cùm autem internæ communionis, quam antè exposuimus, sint partes duæ: vna, à Deo respiciente Ecclesiam suam per gratiam; altera, ab Ecclesia respiciente ad Deum suum per fidem: Iusta analogia inter vtramque formam postulabat, vt duę quoq. partes assignarentur externæ formæ Ecclesiam hominibus, qui foris vident, indicaturæ. Hanc rationem Propheta seruauit, cùm argumentis à forma externa ductis internam veritatem Ecclesiæ probare statuisset. Itaque vtrasque partes in descriptione formæ externæ circumscribit diligentissimè: tum partes Ecclesiæ tendentis ad Deum salutis suæ, vers. 4. tum verò partes Dei Ecclesiam regentis & ducentis præsentia gratiæ, vers. 5.

In hoc igitur versu prior communionis sanctorum locus in cultu positus exponitur, siue in externa cultus ex pio & religioso sensu animi obseruatione. Quia autem hic cultus, de quo iam dicturi sumus, quædam habet communia, & quædam singularia ad priscam illam Ecclesiam (quam Deus variis rudimentis instituit) propriè pertinentia; videndum nobis est, vt primùm verba ipsa Prophetæ, prout ad Ecclesiam illam respiciebant, exponamus: deinde verò

verò ex figuris illis atque vmbraculis recognoſcamus veritatem communem Eccleſiæ illius & noſtræ.

In ratione Eccleſiæ illius, quod ad formã externam attinet, quatuor ſunt capita ex verbis Prophetæ obſeruanda, quibus forma externa Eccleſiæ circumſcribitur: nimirum res, perſonæ, actiones, & circumſtantiæ: quæ omnia in iuſta Eccleſiæ Dei conſtitutione, prout effici inter homines poteſt, neceſſarium eſt obſeruari. Ac rerum quidem ad formam externam Eccleſiæ pertinentium veritas non ab hominibus, ſed à forma interna Eccleſiæ pendet; id eſt, à reali illa relatione, qua homines res verè diuinas ſibi à Deo oblatas ſuſcipiunt tanquã de manu illius, vt earum, tanquam externarum (vt cum Tertulliano loquar) conteſſerationam argumento ſentiant, profiteanturque, ſe in præſentia gratioſa Dei, & relatione ſiue ordinatione Eccleſiæ ad ipſum ſymbolis externis conteſtata, ſalutem ſuam agnoſcere. In his autem rebus quid eſt boni, quod homo adferre poſſit? qui & ipſe ab omni bono & ſalute alienus eſt totus, & res omnes ita labefactauit vitioſitate ſua, vt omnia, etiam ſi tentaret millies ingrata Deo, vt pote peccato ſuo ingratus, eſſet præſtiturus. Quam rem optimè Michæas exprimebat dicens, Quare inſtructus veniam ante Iehouam, & incuruabo me adorans Deum excelſum? an veniam ante eum cum holocauſtis, cum vitulis annicu-

anniculis? an accepta haberet Iehoua millia arietum? myriadas torrentium olei? an darem primogenitum meum pro defectione mea? fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? indicauit tibi, ô homo, quid sit bonum. Ecquid Iehoua requisiuit abs te, nisi vt exerceas ius, & ames benignitatem, & modestè ambules cum Deo tuo? Cùm itaque in Ecclesia Dei ad iustam rationem formæ externæ illius sanctas res eas quæ formam externam constituunt, necesse sit adhiberi; quæ res nunquam ab homine, sed à Deo solùm omnia in omnibus operante in Ecclesia sua præstari possunt, vt idem formæ externæ sit auctor qui internæ est: propterea priscam illam Ecclesiam & cultum eius externum Propheta describens, omissa planè mentione illarum rerum quas sibi homines conferre posse viderentur, ad eas solùm vel potiùs ad eam solum pios reuocauit, quam Deus in Ecclesia sua testem salutaris præsentiæ suæ posuerat. Hanc rem Propheta exprimit testimonij appellatione, cùm dicit: *Ascendere tribus Iehouæ ad testimonium datum Israeli.* Testimonium autem in vulgo quid appelletur, omnibus notum est; in rebus sacris quid appelletur, videndum est. Est igitur testimonium in Ecclesia Dei, à Deo proficiscens, aut intùs, aut foris. Intùs, est testimonium Spiritus Dei, viuificantis & excitantis testimonium spiritus nostri & conscientiæ inspiratione sua. Foris est testimoniũ verbi, & sym-

& ſymbolorum quæ verbo coniunxit Deus. Prius teſtimonium ad formam internam pertinet. Eſt enim lux illa, qua Eccleſia Chriſti illuſtratur & ſingula membra eius. ſed de hoc teſtimonio antè ſatis diximus pro conſilio noſtro, neque eſt huius loci. Quod autem foris eſt in Eccleſia teſtimonium, aut in ſermone poſitum eſt (nam ſermo vitæ atque ſalutis eſt à Deo) aut in ſymbolis & ſacramentis eius. Quapropter in Scripturis Deuter. 4. & 5. & in libro Pſalmorum paſſim, verbum Dei nomen teſtimonij vel teſtificationis obtinet: Arca verò fœderis, in quâ nihil niſi lapideæ legis tabulæ continebantur, & ex qua Deus teſtabatur præſentiã ſuam, conſulentibuſq; reſpondebat, cõſimiliter teſtimonium fuit appellata. His duobus capitibus continetur, quidquid ad formã externam Eccleſiæ in rebus poſitam propriè inſtituit Deus. Quinetiam hæ duæ res ipſæ (vt modò diximus) vno aſpectu in Eccleſia videbantur: quia reuera vnum ſunt ſecundũ ſubſtantiam, etſi in ſpecie materiaq; externa differunt. Nam quid fuit teſtimonium illud materiale arcæ, quàm capſa & loculus verbi? & quid aliud verbum in tabulis exaratum fuit, quàm anima quædam corporis materialis illius? tantum eo diſcrimen eſt, quòd vt anima nunquam interit, ſed permanet in natura ſua, corporis autem figura tranſit; ita verbum (quod anima eſt) in Eccleſia permanet, vt nota conſtans & perpetua

Ecclęsiæ Dei; corpus verò transmeat & antiquatur instituto Dei. Rectissimè ergo Psaltes, cùm rerum diuinarũ (quæ formam externã Ecclesiæ ostendunt) mentionem facturus esset, *testimonium* hoc loco pronunciauit synecdochicè (vt loquuntur) & verbum testimonij diuini & thecam illius comprehendens.

Cùm autem theca facilè pereat, corrumpatur, mutetúrque, thesaurus verò in ea conditus (vt modò dicebamus) sit per prouidentiã Dei durabilis in Ecclesia eius: sic statuendum est, in forma externa Ecclesiæ quæcunque res ad hanc formam constituendam pertinent, eas in duos ordines distribui posse, permanentium & pereuntium: quas etiam commodè antiquorum vocibus nominaueris illas statas, & has ambulatorias. Itaque ante legem fuit Ecclesia Dei, cùm nondum esset Arca testimonij: & inde quoque à deportatione in Babyloniam Ecclesia fuit sine arca, quemadmodũ in suis Commentariis passim Iudæi agnoscunt, & ex libris Ezræ ac Nehemiæ non obscurè colligitur. sed sine verbo Dei nunquam Ecclesia Dei extitit, nunquam extitura est: Deus in domo sua mutus esse non potest. Ac proinde cùm aliæ res omnes natura sua adesse & abesse possint sine corruptione rei quæ agitur, & variam (vt ita loquamur) faciem induant ex dispositione Dei sapientissima; nõ dubium est quin Propheta hoc loco maximè ad rem permanentem respexerit;

ex

ex qua, velut specifica (vt vocant) differentia, species vera Ecclesiæ Dei secundùm formam externam illius dignoscatur. Nam etiam (vt diximus) in illa ipsa Arca inerat verbum Dei digito eius exaratum. Restat igitur vt dicamus, non ex arca, aut aliis eiusmodi accessionibus cognitã fuisse Ecclesiam, sed ex verbo quod continebatur arca, & quod Ecclesia in ea seruabat: ac proinde verbum Dei externũ forma externa est Ecclesiæ, ad quã respicere oportet omnes qui certò ex necessariis & indubitatis indiciis Ecclesiam nosse foris voluerint: & quemadmodũ per illud tempus hoc indicio cognita est, ita etiam memoria nostra Ecclesiã Dei cognosci oportet.

Duo hîc obstare videntur, ad quæ ordine paucis respõdebimus: Prius est, Ecclesiam priscam ante Legem nõ habuisse verbum Dei scripris exaratum, quod videri posset: ac propterea hanc formam non esse ad iustam cognitionem Ecclesiæ necessariam. Posterius, legem fuisse in arca, non Euangelium: Quòd si Lex fuit Ecclesiæ index, & index perpetuus ac permanens; apud Iudæos potiùs quàm apud Christianos Ecclesiam esse, quia lex forma sit Ecclesiæ aspectabilis, non autem Euangeliũ Christi. Ad hæc soluenda (vt rem ordine persequamur) intelligendum est verbum Dei formam sensilem Ecclesiæ esse, primùm quà enunciatur & auditur, deinde verò quà scribitur legiturque enunciatum: nam verbum est mentis index, scriptura

verbi. Cumque sensilia omnia externa sint, certè ipsum verbũ quà fuit enunciatum, ante quàm commendaretur scriptis, rationẽ habuit externæ formæ in Ecclesia Dei: siue Deus per se, siue per alios enũciauerit ipsum. Et (quod amplius est) vt demus libros apud priscos illos patres ante legem minimè extitisse, tamen sanctos illos patres (prout centurias aliquot annorum viuebant prouidẽtiá Dei) libros loquẽtes fuisse in sanctis suis familiis cum libris mutis com-
Gen. 20. parandos; vt qui Dei Prophetæ essent ordinarij; quorum fides atque auctoritas in dubium vocari non posset: præsertim cùm ordinaria illis esset cum Deo communicatio, & Deo cum illis. Quapropter cùm verbum sensile habuerint, id est, à Deo pronunciatũ, & quotiescunque opus fuit, testatum amplissimis significationibus illius ante ora & oculos omnium; non est cur desideremus verbum scriptum in Ecclesia illa, quemadmodum post illud tempus datum est. tum enim primùm scriptum dari cœptum est, (etsi iam antè in carne Abrahami & seminis eius fuerat scripta quodammodo Dei reuelatio) cùm Dei populus numerosissimus effectus esset, & grauissimæ corruptiones ingressæ ex Ægyptiorum aliorumque impiorum conuersatione, postquam ducentos amplius annos in Ægypto, immemores diuinæ promissionis & fœderis cum Abrahamo initi, in peccatis miserè cónsenuissent, vt Apostolus ad Galatas scri-
Galat. 3.

bens

bens confirmauit. Nam ex eo demum tempore Deus populum ſuum, tum à præſente corruptione, tum à futura gratioſiſſimè vindicauit, cùm doctrinã veritatis & ſalutis ſcriptis commendaſſet. Sic verbum enunciatũ & auditum perpetua eſt nota Eccleſiæ Dei: verbum ſcriptum, ex quo eſt, perpetuum ſymbolum enunciati & enunciandi: idem verbum, ſed tradendi ſolùm ratione differens. Quò reſpiciebat Apoſtolus, cùm auctore Spiritu Dei ſcriberet in hunc modum: Quomodo credent ei de quo non audierint? quomodo autem audient abſq. prædicante? & paulo pòſt: Non omnes auſcultarunt Euangelio. Eſaias enim dicit, Domine, quis credidit ſermoni noſtro? Ergo fides ex auditu eſt, auditus autem per verbum Dei. Hæc ad primam obiectionem ſatis. *Rom. 10.*

Altera, quòd verbum Legis, ac nõ Euangelij, in priſca illa Eccleſia fuerit ſcriptum, falſa propoſitio eſt, & in ſanctam illam Eccleſiam contumelioſa. Nam habuit Eccleſia eandem fidem quam pater Abraham olim habuerat: Abraham autem promiſſiones, fœdus ex promiſſionibus, & veritatem promiſſionum fœderiſque in Chriſto perceperat; quibus rebus Lex ne minimum quidem derogauit. Nam, inquit Apoſtolus, Pactionem priorẽ ratam factam à Deo, reſpicientem in Chriſtum, Lex (quæ poſt annos quadringentos & triginta cœpit) non fecit irritam, vt vanam promiſſionem redderet. Sed, in- *Galat. 3.*

quient, Agitur de testimonio quod fuit in arca fœderis; illud autem testimonium solummodò decem præcepta Legis tabulis inscripta continebat. Agnoscimus id quidem, si rectè intelligatur: sed non dicimus primùm nihil fuisse de testimonio scripto, nisi quod arca inclusum esset: nam & illam ipsam scripturam & reliquum
Deut. 31. Legis diuinæ canonem Deus per Mosen conscribi, sacerdotibus & Ecclesiæ tradi, religioseque coram eodem testimonio seruari mandauerat. Fuit ergo testimonium, hoc in arca, illud ante arcam: In arca, velut depositum seruandum: Ante arcam, velut beneficium vtendum: Sed vtrumque idem substantia, quamuis qui in arca erat Canon, esset canonis illius quem sacerdotes manibus terebant, Epitome. Postremò, nequid glorientur qui hoc argumentorum genere insidiari cupiunt imperitiorum mentibus; addendum est, quod illi fortasse non vident, ipsa decem præcepta (quæ vocãt) tabulas illas, non Legis solùm mentionem facere, sed & Euangelij. Nam nónne à promissionibus Euangelicis, & à recordatione illarum. & à recente typo, nempe liberationis ex Ægypto, Deus initium facit, dicens, Audi Israel, Ego sum Iehoua Deus tuus qui eduxi te è terra Ægypti? Nonne eas docuit Apostolus nõ fuisse abolitas superueniente Lege? Omninò igitur pias mentes statuere illud necesse est, verbum Dei enunciatum & scriptum formã externam esse,

esse, quam Deus in Ecclesia positam voluit; vt cùm se & suos ipsa internosceret, tum eam alij, prout Deum confitetur, hac forma externa obseruare possent.

Atque hoc quidem testimonium quo sit argumento, nolumus hoc loco exponere, quia id est loci alterius. In præsentia id satis futurum esse iudicamus, si testimonium hoc intelligendum esse Dei moneamus, quo tum Deus de se ipso rebusque diuinis tantum nobis testatur quantum expedit gloriæ ipsius & saluti nostræ, tum nostrûm singuli illustrati potentissimo illo Dei testimonio adducimur, vt de nobis ipsis vicissim testimonium exhibeamus Deo, in nobis habeamus, & in oculis mundi sancta professione Dei & salutis nostræ præbeamus. Quæ causa est, cur Prophetæ visum est testimonium non simpliciter nuncupare, sed nominatim addere, fuisse *Israeli datum*, & Ecclesiæ indesinenter esse expositum. Sed quia hoc quod iam attingimus, ad locum secundum pertinet, quem de personis esse diximus, tempus est vt ad eum locum veniamus explicandum.

1. Personarum igitur quas Deus intus informat testimonio suo, & palàm testatas facit in oculis omnium, prout verbum Dei internum percipiunt atque externum profitentur, ratio à Propheta duobus modis ostenditur, vniuersè, & particulatim. Vniuersè Ecclesia ostenditur *Israëlis* siue Israelitarum nomine; particulatim

verò, prout singulares Ecclesiæ à Deo distributæ sunt, demonstratur *tribuum* & quidem *tribuum Iah* siue Iehouæ appellatione. Quemadmodum autem in explicatione rerum docuimus, res typicas & particulares à substantia & veritate earum in nominibus istis discerni oportere, hîc eodem modo fieri necesse est. Nam typicæ sunt appellationes, & angustiores; quarum veritas diffusa est latissimè. Typica illa duo sunt, quòd *Israel* vel Israelitæ, & quòd *tribus* appellantur. Nam cùm populus Iudæorum pars fuerit Ecclesiæ Dei per illud tempus præstantissima, & Ecclesiam Catholicam Christi certo quodam modo adumbrauerit, primùm de ratione illius Ecclesiæ propriè, tum de ratione Ecclesiæ Catholicæ, quod ad personas attinet, per analogiam videndum est. Cùm ergo Israelem Propheta nominat, totum corpus Ecclesiæ quam Deus tum vocabat verbo, intelligit: cùm autem tribus nominatim inter se distinctas (nam id sibi vult ex Hebræorum vsu repetitio illa nominis *tribus, tribus Iah*) partes illius Ecclesiæ, quam totam dixerat Israelis nomine, designauit: & ita quidem designauit, vt ordo membrorum in corpore voce tribuum comprehenderetur. Tria sunt igitur ex Prophetæ verbis ad rationem personarum, quas Deus informat in Christo, pertinentia: vniuersitas velut corpus, partes vt membra corporis iusto ordine inter se constituta, & applicatio formæ illius quam antè ex

posuimus.

posuimus. Ecclesiæ vniuersitas in illo ipso typo quem Propheta hoc loco nominat, tribus modis spectari potest: primùm secundùm rationem externam eius, deinde secundùm internam, postremò autem secundùm vtramque simul. Secundùm rationem externam solùm Israel dicebatur, qui erat in propatulo Iudæus, & cui erat in carne circumcisio, vt Pauli vtamur verbis: Secundùm internam solùm Israelis nomine dicebantur, qui in occulto Iudæi erant, & circumcisione cordis in spiritu ac non litera prædi ti, quorum laus non ex hominibus est, sed ex Deo ipso. Secundùm vtramque dicebantur, in quibus ratio interna & externa formæ diuinitus impressæ respondebat. Ad quæ omnia respexit Apostolus, cùm diceret: Non omnes qui sunt ex Israele, sunt Israel, neque qui sunt semẽ Abrahami, omnes sunt filij. Secundùm externam formã fuerunt Israelitæ, quos Deus profligauit in deserto, & quicumque auditis promissionibus nõ perceperunt sermonem fide contemperatum in se ipsis, vt Apostolus ad Hebræos loquitur, id est, Israelitæ carnales & impij. Secundùm internam nos Israelitæ sumus, & semen Abrahæ, vt scribit Apostolus ad Galatas: nos qui à litera & obseruationibus corporalibus liberati sumus in Christo Iesu. Secundùm vtramq. dicti fuerunt Israel in Ecclesia illi, qui secundũ carnem ex Israele descendentes vestigia fidei illius secuti sunt. In hunc mo-

Rom. 2.

Rom. 9.

Hebr. 4.

Gal. 3. & 6.

dum Propheta loquutus est, cùm vniuersitatem Ecclesiæ, Israelis nomine designaret; cui vniuersitati datũ est à Deo illud testimonium. Nam vniuersitati illi promiscuè credita sunt
Rom. 3. eloquia Dei, quæ singulis illis hominum generibus testimonio essent: iis quidem qui solùm secundùm carnem fuerũt Israelitæ, ad euictionem & iudicium ipsorũ: reliquis verò, ad informationem & salutem ipsorum Deo glorioſam.

Quòd autem illa Israëlitarum vniuersitas in tribus distincta fuit, id partim ciuilis ex naturæ principiis petitæ, partimque ceremonialis fuit obseruationis ex institutis gratiæ. Principium naturæ est, quòd secundùm ortum familiarum distinguuntur tribus: ex eo principio leges ciuiles, de tribuum distinctione in Israele obseruanda, à Deo profectæ sunt; quæ leges secundùm rationem tum beneficij à Deo collati, tum Israelitarum tanquam emphiteutarum siue perpetuorum (vt vocant) colonorum Dei, tum denique regionis ipsius latæ sunt, cùm in eius possessionem à Deo mittebantur. Gratiæ verò, quam Deus secundùm typum & veritatem Israeli contulit, præcepta sic fuerunt lege temperata, vt ceremonialibus quibusdam ritibus ac distinctionibus instruxerit populum illum veterem ad gratiæ suæ commendationem. Sic omnibus rebus istis per singularem Dei prouidentiam in Iudæorum populo adunatis, suus ordo singulis fuit attributus: Ordo autem partim à natura, partimque ab instituto, vt in opti-

optimis rebus publicis solet obseruari. Nam fuit ordo in illa vniuersitate, primùm quidem Ecclesiæ ipsius ad Deum, deinde membrorum partiumque ipsius inter se, tum communium, quas vulgò Ecclesias particulares appellamus, tum verò singulariũ. In vniuersitate id fuit ordinis, quòd tota Ecclesia & respublica sequebantur Dei, hærebantque Deo secũdùm institutionẽ Dei, qui locum Hierosolymorum elegerat in quo habitaret, suamque præsentiam testatam faceret, & ad illud velut consilium summum, cui certissimè præerat Dominus, & ad responsa extraordinaria ipsius, in rebus Ecclesiasticis æquè ac politicis (si quæ grauiores fortè obtingebant) solita est accurrere. In partibus vniuersitatis illius consimiliter ad ordinem pertinebat, quòd alia tribus ad res sacras & Ecclesiasticas, alia ad humanas atque politicas cum auctoritate curandas à Deo erat disposita, dum aliæ subessent illarum administrationi. In personis verò singularibus id quoque fuit ordinis, quòd præter communem vocationẽ omnium, quæ charitatem in omnes spectat promiscuè, (hanc enim cuiq. debemus semper, etiam tum cùm præstamus maximè) aliæ peculiari quadam obstrictæ fuerunt vocatione ad rerum, hæ diuinarum, illæ humanarum procurationem, aut etiam vtrarumq. simul, quà priuata opera, quà publica, cũm ciuili, tum Ecclesiastica. Atq. hic quidem ordo totus à summa illa & essentiali forma Ecclesiæ Dei profectus est: qui do-

Rom. 12.

nis &

nis & vocationibus singulos instruebat, vt in rebus sibi ab eo mandatis ponerent operam. Sed quia totius ordinis vsus in actione versabatur, restat vt ad locum tertium, qui de actionibus est in Ecclesia Dei, transeamus.

Actiones igitur Ecclesiæ & membrorũ eius duobus modis circumscribũtur hoc loco. Nam primùm dicuntur omnes ire ad testimonium, deinde verò in Dei laudibus occupari. De priore Propheta inquit, *Ascendunt tribus ad testimonium datum Israeli:* de posteriore verò dicuntur hæc verba: *vt celebrent nomen Iehouæ.* Hæ autem occupationes duæ sanctissimæ in prisca illa Iudæorum Ecclesia suas quasdam externas ceremonias habuerunt: quarum aliæ communes sunt omnium ætatum, puta quæ ad honestatem & iustum ordinem in sacris rebus agendis pertinent: Aliæ singulares illius temporis ad vmbram futurarum rerum pertinentes, quemadmodum scitè distinxerunt Apostoli in celebri illo conuentu Hierosolymis habito, & Paulus ad Galatas & Colossenses demonstrat euidentissimè. Omninò tamen perpetuum illud est, quòd omnes pij in communione sanctorum compárent corã facie Domini ad testimonium ipsius, & quòd celebrant nomen ipsius. Est igitur iam olim piorum in communione sanctorum officium duplex: vnum, vt percipiant à Deo verbum salutare eius, & loquentem audiant: Alterum, vt suis orationibus appellent ipsum,

Act. 15.

ipsum, & gratiarum actione omnique professione sancta agnoscant beneficium eius. Atque hæc quidem duo officia singuli apud se & intra priuatos parietes tenentur præstare Domino; sed cùm hîc agatur ex professo de ordine publico in priſca Ecclesia ad communionem sanctorum instituto atque obseruato, commodè Propheta vsurpauit *ascendendi* verbum: vt eo significaret officium publicè à piis præstitum, qui ex suis domibus, sedibus, & tribubus etiam longinquissimis prodibant vltrò, vt ad hæc duo officia coram Domino præstanda castè & religiosè accederent.

His officiis adiungendum est quartum illud caput quod antè diximus, nimirum circumstantiarum, quæ in rebus omnibus agendis solent occurrere, aliæ perpetuæ, aliæ verò pro occasione variantes. Perpetuas appellamus eas, sine quibus nec personæ agentes, nec actiones illarum constare possunt: cuiusmodi sunt temporis, & loci. Variantes autem eas, quæ modò sese offerunt in nostris actionibus, modò absunt ab illis: & cùm adsunt, aliâs hoc modo adsunt, aliâs illo modo: quia vt adsint in agendis rebus, nec per ipsas, nec per nos certa est necessitas atque perpetua. Quinetiam illæ ipsæ duæ, quas diximus necessarias, suis quoque ceremoniis non simpliciter aut per se, sed propter significationem ipsarum necessariis olim fuerunt quasi vestitæ mandato Dei: vt cùm (exempli causa)

dierum

dierum distinctio lege imperata est, & feriæ anniuersariæ constitutæ: Similiterque in ratione loci, cùm locus Hierosolymorum est conuentibus sacris destinatus, & quæcunque eiusmodi lege indixit Deus, vt typi rerum futurarum essent. Ad hanc ambulatoriam (vt antè appellauimus) ceremoniam Propheta respexit, cùm diceret, *Nam illuc ascendunt*, ad vrbem puta Hierosolymorum, cuius duobus præcedentibus versibus proximè meminerat.

Ex his autem omnibus quæ de prisca Iudæorum Ecclesia propriè hoc loco enuntiata sunt, cùm Spiritui sancto visum fuerit hæc ipsa cantica ad Catholicam Ecclesiam & Christianam transmittere, ita colligimus: eandem quoque rationem in forma externa, personis, actionibus, & circumstantiis, quæ quidem per se aut respectu alterius necessariè sunt, obseruari à piis oportere. Forma externa si fuit illis testimonium à Deo datum Israeli: Ergo formam externam Ecclesiæ catholicæ hoc etiam tempore in testimonio Scripturæ sacræ, quam Prophetæ & Apostoli diuinitus inspirati cõsignarunt scriptis & Ecclesiæ tradiderũt, recognosci oportere. Personarum si fuit distinctio ex donis & vocationibus à Deo institutis, ad commoditatem: etiam externæ formæ atque internæ veritatem, Ergo in eadem Ecclesia catholica ex donis & vocationibus à Deo testatis distingui personas oportere. Si actiones, officiaque tum Ecclesiæ ipsius,

ipsius, tum membrorum omnium eò pertinebant, vt Deus audiretur homines in verbo suo alloquens, & illi Deũ vicissim alloquerentur precibus, & gratiarum actione omnem honorem ei exhiberent, atque ad hanc rem conuentus sacros colerent frequentarentque: ergo nobis dandam esse operam, vt Deum audiamus loquentem, eidem precibus & gratiarum actionibus honorem habeamus, deniq. ad hoc opus religiosè conueniamus inter nos, facturi communiter seruorũ Dei officium, cùm audiemus mandata ac promissiones eius, & gratiam eius implorabimus in rebus aduersis, & in secundis profitebimur. Hic ordo formæ illius externæ, quam in Catholica & Christiana ecclesia semper opus est obseruari: ac propterea circumstantiarum quoque non negligenda ratio, quæ ad harum rerum obseruationem sine vanitate aut superstitione commodare possunt.

Atque hæc quidem omnia vbicunque esse animaduertimus, ibi cogitandum est Deum Ecclesiam suam statuisse; id est, & præsentem esse singulari præsentia gratiæ, & formam internam atque essentialem Ecclesiæ illi ac membris illius indere ex beneplacito voluntatis suæ. Quòd si hæc omnia non compárent simul in eo cœtu ad quem respicimus, tamen non existimanus temerè sententiam aduersus vllum ferri oportere, tanquam si à Deo abesset planè qui abest à iudicio nostro. Serui alieni sunt, illius

lius Domini, qui & nos & alios & illos ipsos redemit sanguine pretioso suo: siue stent, siue cadant, stant & cadunt Domino suo. Ac propterea fugienda nobis sunt quàm diligẽtissimè præpropera illa iudicia, quibus alij alios plus satis, irritante Satana & mundo applaudente, infestamus atque offendimus. Quid enim? an continuò siquid formæ illius externæ deest, quam circumscripsit Propheta his verbis, legitimum futurum est, alienos ab interna Ecclesiæ forma conuentus illos aut fratres illos iudicare? & tamen (proh Deum immortalem) quotus quisque hoc tempore est, qui seriò cogitet de impediendis aut inhibendis iudiciis eiusmodi? quotusquisque non effunditur in acerbissima seueriſſimaque iudicia, cogitatione, animo, sermone, scriptis; iisque non solùm priuatim communicatis, sed etiam publicè in lucem datis maximo Ecclesiæ malo?

Si fortè in vna aliqua circumstãtia, aut etiam altera, pluribusue, priuatus aliquis dissenserit, si etiam publica auctoritate instructus, si Ecclesia vna, si plures, in circumstantiis, ritibus, ceremoniis, non planè iudicio nostro, aut moribus conformantur; pleriq. omnes clamant de pietate, de Christianitate actum; atque vtinam clamarent solùm. Etsi hi clamores totidem sunt infesta tela, quibus imperitorum mentes obfirmantur, & labefactantur infirmorum. Sed cùm accedunt cõtumeliæ, proscriptiones, condem-

demnationes & alia id genus, putásne, mi homo, illud institutum à Christo esse, aut à Christiano sui compote probari posse? non vides dum ordinem extetnú propugnas verbo, eundem ordinem à te ipso ante omneis oppugnari? destrui quod ais exstruendum?

Sed quid si res grauior sit, quàm quæ his circumstantiis debeat accenseri? nam circumstantiarum locus postremus est. ergo quid si in actionibus, aut in ratione personarum vocationumque, aut in ipsa externa forma non sit conuenientia, quam oporteat esse? Etiam hîc suspendi cupio & inhiberi iudiciú nostrum. Nam ad actiones quod attinet, quas æquum est pluris fieri quàm circumstantias, eas sic oportet in personis Ecclesiisq. expendi, vt non propterea oppugnentur Ecclesiæ Dei quà Ecclesiæ sunt & aliquid in Christo obtinent; quamuis actionibus malis, impietatem & iniustitiam planè redolentibus circumfluant. Erit quidem hic, ille, erunt plerique (si ita videtur) impij: sed tamen tantisper dum ordo aliquis est, & forma illa externa permanet, quam primo loco posuimus; caue Ecclesiæ nomẽ huic conuentui abiudices. Si feceris, non fecit Christus, non Prophetæ in prisca Iudæorum Ecclesia (nam & Eliam iudicio suo facientem reuocauit Deus) non Apostoli in tam multis Ecclesiis Christi, quarum vlcera grauissima animaduertebant, curantes malum (quoad eius fieri poterat) prudentia &

charitate sua, non abiicientes Ecclesiam importunitate atque confidentia imprudentissima.

Sed quid si etiam in personis agnoscendis conuentus erret? seruos Dei in Ecclesia legitimè ordinatos non agnoscat? illegitimè ordinatos habeat pro legitimis? denique Ecclesiam vnam contra alteram ædificet, siue hæretico studio, siue feruore schismatis ardescente? pergraue quidem hoc malum: sed tamen ne hos quidem maximo publico malo ex morbo animi laborãtes ita præfractè à nobis oportet iudicari, vt si iam planè abdicati essent à Domino, qui ordinem illius hoc modo abdicant: non ita feruet iudicio Deus. Nã primùm etsi ordinem Christi reiiciunt iniquitate sua, tamen non totum ordinem reiiciunt, sed hunc ordinem, huius aut illius Ecclesiæ, aut etiam plurium: non enim planè ordinem ab ipsis reiici ex facto ostendunt, cùm ipsi ordinem in suo corpore & conuentibus suis obseruent quodammodo. Deinde (quod est rei caput) formam illam externam Ecclesiæ seruant, id est, verbum Dei, Scripturam sacram: quæ cùm integra apud illos est, colitúrque, non possunt iure sic damnari, vt si ab omni Ecclesia planè discessissent. Quam ob causam orthodoxi Patres fidelissimè quidem aduersus hæreticorum Ecclesias pugnauerunt gladio spiritali Dei; sed tamen nec Ecclesias esse planè negauerunt eorum qui ita sentirent, nec ministerium illarum funditus deleuerunt, nec sacra-

sacramentum baptismatis in eis perceptum, si eius substantia integra seruata esset, iterari censuerunt in Ecclesiis orthodoxis suis oportere. Iudicabant enim sapientissimè ista infirmitate hominum, quamuis grauissima, irritam fieri non posse veritatem Dei.

Sed quid si ergo Scripturã S. quæ forma externa est Ecclesiæ à Deo impressa, accipiant quidem & habeant pro certissimo principio, sed tamen non satis accipiant benè? Nam de illis qui Scripturam nõ accipiunt planè, quæstio hîc nulla est: cùm id pro certo habeamus omnes, quibuscunque forma externa à Deo subministrata non ineſt, iis internam ineſſe non posse: ac proinde infidelibus non competere nomen Ecclesiæ, ac ne Iudæis quidem, quamuis recipiant partem scripturæ, tum quia publica testificatione renunciauit illis Deus, tum quia potissimam partem non accipiunt. Quamuis enim præsignificationẽ, quam in Testamento vetere habemus, colant; complementum tamen, quod in nouo doceri credimus, protetunt pedibus. De illis ergo qui Scripturam agnoscunt & colunt, absit vt iudicium præceps feramus arbitratu nostro: suspendi iudicia potiùs necesse est, quàm in eos quibus gratiam suam Deus testatam facit incurrere. Quod malũ quot & quanta mala Christiano orbi hac nostra memoria attulerit, nemo homo est qui non videat, & (si quidem verè homo est) horreat. In hoc igitur

hominum genere duo velim obseruari, quæ piis (spero) satisfactura sunt, & quibus temeraria audaciaq. esse eorum iudicia demonstrari potest, qui momento perrumpi omnia statuunt oportere, & damnari quoscunque non probauerint. Primum igitur quod in hoc genere peruelim obseruari, hoc est, vtrum Scripturam teneant & habeant pro diuino principio regulaque fidei & conuersationis nostræ: Alterum est, si quidē Scripturam tenent, vtrum rem scripturæ teneant, id est, ea accipiant quæ Scripturis sacris exponuntur. Nam primùm Scripturam si tenuerint, retinent formam datam diuinitùs: quam formam externam tanti voluit haberi Deus, vt Ecclesia Dei vocatione habenda sit quæcunque hanc formam retinet. Atque hoc illud est, quod sibi voluit Apostolus cùm ad Romanos scriberet: Quæ est igitur præstantia Iudæi? aut quæ vtilitas circumcisionis? Multa per omnem modum. primarium enim illud est, quòd eis credita sunt eloquia Dei. Ex his enim euidentissimè docemur, quibus credita sunt Dei eloquia, eos (vtcunque homines infidi sint plerique) tamen adhuc prærogatiuam illam retinere, non per se, sed per illam Dei fidem quam ipsorum infidelitas nō potest inanem reddere, dum ipsi in tolerantia expectare eos placuerit. Formam externam ipsam imprimit Dominus traditione verbi sui: quod verbū qui retinent, tantisper dum retinent, principium

Rom. 3.

cipium formæ à Deo impressæ iudicandi sunt retinere: quemadmodũ nummo tritissimo, tantisper dum vestigia signatæ formæ permanent, promiscuè vtimur, eumq. iustum agnoscimus. Et certè maximus est piis hominibus aditus ad miseros illos, qui Scripturam retinent, informandos in via Christi; si in spiritu charitatis lenitatisque cum illis egerint, cùm principium commune vtrimque agnoscitur, ex quo de religionis nostræ veritate conferre possimus, & instrumento communi alij alios instruere.

Sed tamen fieri non potest, vt qui Scripturam tenent, iidem nõ teneant rem Scripturæ, saltem aliqua ex parte ipsius: Nam si qui vt Iudæi tenuerint eam, ij ne Scripturam quidem retinent, cùm nihil retineãt eius. Vt ergo de iis dicamus qui Scripturam cum rebus scriptura expositis retinent, gradus horum sunt innumeri. Nam quantum interuallum est à perfectione huius officij, vsque ad extimum imperfectionis gradum, qui vniuersæ alienationi à Deo est proximus, tantus numerus graduum constitui potest in iis siue hominibus, siue Ecclesiis, à quibus Scriptura cum re scripturæ retinetur. Sunt autem hi gradus planè innumerabiles, cùm hoc ab his, illud ab illis, plus, minus, explicitè, confusè, purè, impurè teneatur. Sed quia non est consilij nostri, vt gradus illos perueſtigemus, duo summa genera solùm destringemus ad institutum hoc pertinentia; quandoquidem hîc

de illis tantùm laboratur qui propter defectum aliquem non videntur habendi in Ecclesiæ numero. Nam alioquin constat neminem hominem aut Ecclesiam esse in terris, quæ perfectè perfectionem Scripturæ cum rerum Scriptura comprehensarum perfectione teneat; sed aliquam tolerabilem inter homines constitutionem Ecclesiæ perfectionem humano sermone appellari, & eos dici ab Apostolo perfectos, qui ad aliquem vsque gradum per Dei gratiam ascenderint. Eorum igitur quorum imperfectio facit vt Ecclesiam Dei habere penes se minimè videantur, respectu illius formæ externæ quam Scripturã sacram appellamus, duo sunt genera: Nam alij Scripturam & rem scripturæ in fundamento tenent; alij Scripturam sic tenent, vt à fundamento discedant longissimè. Fundamentum appellamus, siue (vt loquuntur vulgò) articulos fundamentales fidei, eos sine quibus fides Christiana constare non potest; cuiusmodi sunt articuli de Deo, qui fundamentum est salutis nostræ obiectumq. fidei immutabile. Qui ergo Scripturam & fundamentum illud salutare tenent, quamuis in rebus singulis non æquè sit explicata illorum fides, tamen ex forma externa quam impressit Deus, in Ecclesia Dei habendi sunt. Nam quæ ratio est in membro, eandem in corpore quoque Ecclesiæ oportet obseruari. Membri in fide infirmi miseremur, rectè: quid ni etiam corporis ex infirmi-

1. Cor. 2. Philip. 3.

tate

tate laborantis? Dum anima est in eo, viuit: dum aliquid est vitæ, anima est in eo. Qui verò à fundamento absunt, & de litera Scripturæ in carne gloriantur, ij certè Ecclesia Christi haberi non possunt. Sed rursum in illo genere multa veniunt obseruanda. Verbi gratia: Si ij qui fundamentum retinent, ipsum purum aut impuratum retinent: si impuratum, quanta impuritate impuretur: Si impuritate summa, vtrum apertè impuretur ab ipsis, an verò ab iis qui contradicunt reuincatur ex cõsequente impuritas. Nam in his rebus magno iudicio in hominibus, magna religione opus est; ne illud ipsum beneficium, quantulumcunque est quod à Christo Iesu perceperunt, importunitate & acerbitate nostra intereat.

Atque vtinam hic modus charitatis veritatisque inter Christianos his calamitosis temporibus obseruari posset: vtinam sententiæ importunæ, animi infesti, sermones aculeati, actiones asperæ atque vehementes à Christianis hominibus toties abessent longissimè, quoties cum iis qui aliud sentiunt, conferre cogitant. Nam quid agimus? quid cogitamus, obsecro, cùm sermonum eiusmodi habendorũ necessaria nobis offertur occasio? pleriq. omnes in eo sumus, vt ostendamus nihil nobis placere posse, quàm quod à nobis cogitatur, dicitur, præstatur, in communicationibus eiusmodi: adeò suauiter nos ipsos nobis admetimur. Itaque præiudicia

nobiſcum affetimus de iis hominibus quibuſcum agendum eſt, de ſermonibus ipſorum detrahimus, indignitatem augemus quibuſcunque modis poſſumus, abſurda accumulamus, quibus magis deterreamus ipſos, quàm adducamus ad veritatem Chriſti, pro eo quod manus erigendis & fulcra firmandis iis admoueri oporteret, & faces illuſtrandis. Nam his abſurdis quæ ne per ſomniũ quidẽ ipſis in mentem venerunt, iniuriam ſibi fieri clamitant. itaque clamores vltrò citroque audiuntur, conuicia, contumeliæ, maledicta, ſcripta etiam profunduntur his rebus omnibus inſtructiſſima, quibus animi quo iure, qua iniuria obfirmantur: ſed nihil de penu charitatis, pauca de fonte veritatis, ex quo in præiudicata de perſonis, mentibus, ſermonibus, actionibus ipſorum traducimur. Imò (quod longè grauiſſimum) ſi qui veritate victi cogitent ſine ignominia tranſire ad veritatem, inuidemus Chriſto laudem, volumus viciſſe, & tropæa illorum nobis, non Chriſto cupimus: quo obfirmantur miſeri, ne per nos dicantur pudefieri. Quouſque tandem, ô fratres in Chriſto dilectiſſimi, quouſque abutemur patientia Dei nos ſtudioſſimè ad veritatem ſuam in charitate & humilitate reuocantis & ad vnitatem Eccleſiæ ſuæ? quouſque perturbationibus animorum noſtrorum ſinemus nos, quà prudentes, quà imprudentes abripi? quouſque dabimus operam vt alij aliis extor-

queamus

quicamus formam illam externam, quam Deus nobiscum gratiosè & cũ fratribus nostris communicat? Iam plus satis aliena bona minuimus, mala amplificauimus, & noua insuper accumulauimus, vt deiiciamus quos ex mãdato Dei opera nostra oportuit erigi. Quin potiùs agnoscimus testimonium Iehouæ apud hos & illos esse, in quos infesti ruimus? Quin videmus Israelem esse, quemcunque Deus informat in sui illius testimonij communicatione? Quin cernimus eôdem alios contendere atq. nos facimus, ac de amplectendo Iehouæ testimonio retinendoque laborare? Quin animaduertimus illos, absque nobis esset qui importunè inter nos obstrepimus, ad celebrandũ nomen Domini concurrere? sinamus potius illos, per Deũ immortalem, in sanctis his studiis occupari, & bonum illorum studium Christiana prudentia duce omni studio industriaque adiuuemus: neque committamus, vt facto nostro à bonis institutis auocentur, atque ad mala inardescant, prout in cõtentionibus humanis plurimùm euenit. Cur de circumstantiis rerum magnopere laboremus, & Ecclesias imprudentia grauissima inter se committamus? Cur etiam propter actiones varias, si quas improbamus, & reipsa improbandæ sunt, perinde censores agamus in fratres nostros, ac si momento apud illos tota Ecclesia concidisset? An ergo existimamus actiones hominum formam Ecclesiæ esse? Effecta sunt &

consequētia illius; ex quibus homines quidem possumus cognoscere singulos: sed si Ecclesiam iudicamus, mox ad eorū castra nos transfugere (quod absit) oporteret, qui nullam Ecclesiam in hac vita iudicant existere. Cur etiam de personis & earū dignitate, ordine, auctoritate tuenda, ita contendimus, vt si extra hunc aut illum Ecclesiæ modum non esset Ecclesia? Equidem non probo ab illis Ecclesias scindi: sed ne hoc quidem probo, vt qui scindunt inscientia & infirmitate sua, ij scientia & auctoritate tua ac potiùs tyrannide (quisquis es) ita rescindantur. Si enim Ecclesiam, in qua versor per Dei gratiam, illi non agnouerint: at mihi tamen hoc tempore satis futurum est, si videro aliquam Christi Ecclesiam ab illis agnosci: vt me, vt hanc, aut illam Ecclesiam agnoscant, non magnopere laborabo, modò agnoscant Christum: pro certo habens, si in Christo paulatim confirmentur, fore vt confirmato mentis oculo me & alios viuere in Christo videāt, & ampliùs cum cœtu piorū coalescant. Quòd si nitidissimum illum Scripturæ fontē suarum inuentionum & traditionū cœno coinquinant, vtrùm nos meliores veritatis illius vindices putamus fore, quàm Deus ipse sit? Conquiescamus igitur in voluntate illius, neque anteuertamus opera misericordiæ, aut iudicia eius nostris iudiciis: quos expectat, expectemus sequentes ipsum: quos vocat, si per nos vocare placuerit, vocemus in fi-

de &

de & spiritu lenitatis: si per alios, ne interuertamus; sed gloriam ipsi tribuamus, quòd & alia, & plura, atque haud scio an commodiora instrumenta quàm nos simus, ad opus suum dignetur adhibere. Ipsius est præstare omnia: nostrum verò ad perpauca & tenuissima ministeria, ad quæ nos vocauerit, fidem & obsequium nostrum ei sanctificare ex voluntate eius: & de eo lætari sanctissima lætitia spiritus, si quos nobiscum à Deo videbimus adhiberi qui dicant, Domum Iehouæ adeamus.

5. *Quia ibi considerent throni iuri, throni domui Dauidis.*

In explicatione proximè præcedentis versus ostendimus Prophetã formæ internæ, quam Deus indidit Ecclesiæ suæ, externam formam subiecisse ordine commodissimo: vt omnes Ecclesiæ partes intus & foris iustã proportionem & συμμετρίαν habere videamus. Illius autem externæ formæ substantiam esse docuimus in canone verbi Dei, quod verbum per Prophetas & Apostolos à Deo inspiratos literis consignatum est, & in Ecclesia depositum: hoc charactere signatam esse Ecclesiam Christi, ex cuius auctoritate & præscripto duplex opus in communione sanctorum obseruari possit: vnum, à piis erga Deum & verbum ipsius: alterum à Deo erga pios, & omnes eos qui in Ecclesiam aspectabilem

ctabilem verbi diuini signo colliguntur. Operis nostri erga Deum duas esse partes: Vnam, vt indesinenter ascendamus ad testimonium Domini,& contendamus ad perfectionem illius: Alteram, vt omnia conferamus ad eius gloriam, consilia, instituta, sermones, & facta nostra. Nunc verò locũ alterũ qui ad cõmunionẽ sanctorũ pertinet, Propheta hoc versu aggreditur, nequis se in incertũ currere aut aërem cædere existimet, dum operã dat Ecclesię in communione sanctorum; sed potius ita statuat cum animo suo, nõ debere se, vt seruum Domini, in officio suo segnescere; præsertim cùm sciat Dominum in ea communione præsentem esse,& nunquã ab actionibus suis salutaribus desinere.

Summa igitur est huius versus, nunquam Dei partes desinere, aut otiari Deum in communione sanctorum: Deum semper esse accedentibus & consulentibus se præsentissimum, qui exaudiat, curet, præstet quicquid opus est ad suorum bonum, vt rex iustissimus, gratiosissimus, ac potentissimus, sanctificans Ecclesiam suam, idq. nõ solùm spiritu (hoc enim ad formam internam pertinet, de qua antè diximus) verùm etiam ordine aspectabili cõiuncto cum verbo, atque ex verbo ipsius. Ad hunc enim ordinem aspectabilem Propheta respexit, dicens: *Quia ibi considunt throni iuri, &c.* Sensus igitur est; pios omnes lætari cum animis suis, accurrere, & figere pedes suos in Ecclesia visibili,

bili, tum propter formã internam quam Deus exhibet Spiritu, tum propter formam externam inditam traditione verbi, & officia vltrò citroque ex verbo consequentia; id est, non solùm propter officia piorum ad testimonia Dei confluentium & celebrantium nomen illius, sed ante omnia propter officia, quæ Deus exercet in Ecclesia aspectabili, eam regens sceptro potente verbi, & iusto ordine ad sceptri illius exercitium (vt vulgò loquuntur) pertinente. Et certè neminem puto ita desipere, vt domi suæ ordinem habendum putet, in domo Dei non putet; cùm Deus sit ordinis, non autem confusionis & status incompositi, vt dicit Apostolus. Quòd si quis ordinem illum diuinum in spiritu solùm, ac non in rebus externis esse contenderit, profectò eum hominem aut planè spiritualem, aut nulla ex parte spiritualem esse oportebit. Nam si omnis ordo à recta ratione est, & recta ratio à Deo velut principio omnis boni in natura rerum, quisquis ita sentit aut purè naturalis est & ψυχικὸς (vt Scriptura loquitur) qui ordinem in domo Dei nõ videt, aut (quod amplius est) ipsum naturæ sensum amiserit: spiritualem enim hominis perfectionem, dum in hac vita est, imaginari ridiculum. Si ergo mundus naturæ domicilium est, & hoc domicilium ordinem suum habet; quid de Ecclesia, quæ domicilium est gratiæ, dicturi sumus? Scilicet gratia naturam corruptam instaurabit, & perficiet

1. Cor. 14.

1. Cor. 2.

ciet imperfectam: domum verò suam sine ordine abire sinet auctor ille gratiæ.

Huius autem ordinis quem Deus in domicilio suo constituit, duplex est ratio: Vna, simplex, propria, & necessaria; altera, composita figuris & ceremoniis, atque ambulatoria. Quam vtramque rationem distinctè Deus posuit in prisca ecclesia Iudæorum. Partes verò pro ratione obiecti duæ: Vna Ciuilis, ad rerū humanarum administrationem spectans: altera Ecclesiastica, ad rerum sacrarum procurationem. Has duas partes secundùm vtrumq. modum quem antè perstrinximus, Propheta attingit, dicens primùm quidem de rebus sacris & diuinis, *Ivi considere thronos iuri*; deinde verò de humanis, *Ibidem esse thronos domui Dauidis*. Quapropter vt singulæ huius versus partes meliùs intelligantur, primùm administrationes illæ ex Prophetæ verbis distinguendæ sunt; pòst videndum quid sit quod de illis administrationibus prædicatur.

Ac primùm quidem id necesse est obseruari, administrationes metonymicè thronorum vel sedium appellatione designari. Notum est eos qui iuri dicundo præsunt, & alios qui auctoritate præualent, ex sedibus responsa dare cōsulentibus: & sedia esse iuris, auctoritatis, & potestatis signa. Cùm itaque Propheta non vnius throni aut sedis, sed compluriū meminerit, eo significatum voluit à Deo esse potestates, vt Apostolus

lus ad Romanos scribit, & ordinem inter po- Rom. 13.
testates ipsas cõstitutum, quarum solia sunt, ac postremò ordinem ipsarum ad eos quibus præfectæ sunt. Potestates autem cùm dicimus, secundùm rationem administrationis illius quæ ipsis commissa est, volumus accipi. Nam cùm potestas nulla sit nisi à Deo, id pro certo nobis habendum est, solam Dei potestatem, quæ sine principio est, sine fine esse, & non solùm tempore, verumetiam re ipsa (vt loquuntur) indeterminatam: E diuerso autem cùm reliquæ potestates principium à Deo habeant, etiam finibus suis circumscriptas esse, & limitatum (vt vocant) earum modum.

Est autem inter homines potestatum in hac vita modus (si bene obseruaui) triplex. Primus est, quem Philosophi dictione Græca δεσποτικὸν appellauerunt: Secundus, quem πολιτικὸν; Tertius, quem ὑπηρετικὸν vocant. Despoticam siue dominicam (vt cum Iureconsultis loquar) potestatem eam appellamus, quæ sic absoluta est, vt tota illius ratio ex voluntate illius pendeat qui dominus est, citra vllam iuris illius cum subditis communicationem. Atque hæc in Tyrannicam transit facillimè, cùm dominus plenitudine potestatis suæ (vt cum vulgo loquar) abutitur. Politicam potestatẽ eam appellamus, quæ temperatũ habet dominium cum eorum qui subsunt voluntate, & consensu. Tertij verò generis potestatem, quam ministratoriam dicere possu-

re possumus, intelligimus eam quæ voluntati alienæ tota obsequitur: ac proinde partim ex superioris, à quo instituta est, voluntate leges accipit, partimq. voluntati eorum qui subsunt accommodatur interdum, & contemperatur quodammodo ad vtilitatem ipsorum. Primum genus à solius dominantis pendet arbitrio, qui ad se respicit & vtilitatem suam. Secundū pendet à consilio præcipuè dominantis, subditorumque secundariò; & respicit ad vtilitatem publicam. Tertium ab vtrisque pendet, voluntatemque horum & illorum spectat legitimè ad vtilitatem omnium. Atque hæc quidem potestatum genera si cum potestate Dei comparentur, planè subsunt voluntati illius: sed Deo, qui est per se (vt ita dicam) sufficientissimus, adeoque ipsa in se sufficientia, nullam vtilitatem adferunt. Sin autem secundum se, vt inter homines sunt, considerari eas placuerit, Primum genus, vt apud homines vsurpatur, plerumque nimis est αὐτοκρατορικὸν, & brutū nescio quid aduersus naturā sapit: Cætera tum in societate humana ordini publico conuenientiora videntur esse, tum etiā à Deo in regendo populo ipsius, tanquā æquiora & naturæ humanæ magis consentanea fuerūt instituta: cùm illa potestas impetio mentis respondeat, hæc sensuum & corporis ministerio. Sic autem instituta sunt, vt politicus ordo vtrumque genus potestatis in se habuerit; Ecclesiasticus verò contentus fuerit

solo

solo ministratorio, quia in ratione Ecclesiæ Dominus summum ius imperiumque semper & constantissimè sibi vindicauit. Itaque in Politico fuit ordo potestatum inter se, tum summæ quæ regia dicebatur, tum verò inferiorum ex ordine: quem ordinem potestates illæ omnes, & inter se ipsæ, & erga eos qui ipsis suberant & commissi erant administrationi ipsorum, obseruabant. In Ecclesiastico verò erant omnia ministratoria, à solo Dei imperio pendentia, & ad vniuersi vtilitatem solùm pertendentia: adeò vt ne ipsi quidem sacerdoti summo liceret in re incognita quidquam, nisi consulto ore Domini, statuere: quemadmodum aliquot exemplis in libris Mosis ostenditur.

De his ergo potestatibus tria sunt quæ Propheta hoc versu distinctè prædicat: Primum, quod nam sit officium harum potestatum: Secundum, qui custodes officij: Tertium denique qualis earum constitutio à Domino. Officium demonstrat Psaltes, cùm *thronos* appellat *iuri*: custodes & *νομοφύλακας* exprimit, dicendo, *thronos domui Dauidis* institutos: Constitutionem verò pauculis verbis declarauit dicens: *illic considere*: id autem est, Hierosolymis.

Ius autē officiumq. ad potestates pertinens pro conditione earum, & conditione temporum, variè circumscriptum est. Nam cùm potestatum aliæ humanæ & politicæ sint, aliæ diuinæ & Ecclesiasticæ; similiter rationem iuris

necesse est duplicem obseruari : vnam, ciuilem & humanam, secundùm quam hominem inter homines necesse est inculpatè & sine crimine ciuiliter viuere : alterã spiritualem & diuinam, secundùm quam necesse est hominem quemque coram Domino ambulare inculpatè, & esse integrum, vt cõtinetur verbis fœderis quod
Gen.17. Deus olim cum Abrahamo pepigit. Iuris humani præcepta tria prudentes tradiderunt: honestè viuere, alterum non lædere, & suum cuique tribuere. Etsi hæc duo, si quis accuratiùs volet expendere, ad vnum & idem videntur pertinere. Nam qui suum cuique tribuit, non lædit alterum: & contrà qui lædit alterum, suum cuique minimè tribuit. Iuris autem diuini præcepta si quis in pauca volet contrahere, commodè verbis Pauli vsurus est, ad Titum
Tit.2. scribentis hoc modo, Illuxit gratia illa Dei salutifera quibusuis hominibus, erudiens nos, vt abnegata impietate & mũdanis cupiditatibus, sobriè, & iustè, & piè viuamus in præsenti seculo, expectantes beatã illam spem & illustrem aduentum illum gloriæ magni illius Dei ac seruatoris Iesu Christi. Nam pro eo quòd humanæ iustitiæ fundamentum est natura; & lux, conscientia naturæ corruptissimæ: hîc fundamentum supernaturale diuini iuris ponitur gratia Dei salutaris; & lux gratiæ, fides in conscientia domesticorum Dei & piorum illucescens. Pro eo quòd opera humanæ iustitiæ illius

lius ponuntur ea quæ paulo antè diximus; diuini iuris religiosissima opera nobis præscribuntur duo: vnum, vt opera infructuosa naturæ corruptæ, adeoque ipsa corruptio quæ inhæret nobis, & arma quæuis illius depellantur: alterum, vt opera lucis vel fructus spiritus progignamus. horum modus triplex; Primus, respectu nostri, prudens & peruigil sobrietas, ne circumueniamur ab extrinsecis impedimentis, aut intrinsecis perturbationibus nostris: Secundus erga alios, iustitia, qua damus operam mente, animo, sermone, facto, nequem lædamus, sed suum cuique tribuamus coram Domino, à quo vocati sumus in vnitatẽ spiritus: Tertius erga Deum, pietas, qua Deum religiosè cognoscimus, colimusque, & in ipso recognoscimus quoscunque vocat ad participationem eiusdem gratiæ. Postremò autem pro eo quòd humana illa atque ciuilis iustitia, in terminis miseræ huius naturæ conquiescens, nihil certò habet quò vlteriùs præter hanc vitam respiciat, salutaria illa præcepta Dei nos ad spem gloriæ & gratiæ excitant, quæ hominem vel miserrimum & desperatissimum supra hanc naturam possit ad boni summi expectationem erigere.

Ad hæc duo iuris, corporalis inquam & spiritualis, humani & diuini, genera, thronos, id est, administrationes olim in populo suo instituit Deus. quarum administrationum tanta est necessitas, vt neq. ordo naturæ sine ordine humano

mano in rebus creatis constare possit, neque in hominibus ordo gratiæ sine ordine diuino & Ecclesiastico. Suus naturæ ordo à Deo datus est, & suus gratiæ, suumque ius ordini vtrique inditum: quod ius à singulis hominibus prudenter coli, à custodibus verò quàm religiosissimè diligentissimèque vrgeri necesse est.

Nihil de singularibus istius iuris partibus dicturi sumus, oramus Deum, iuris diuini ex gratia, & humani ex natura auctorem sanctissimum, vt mentes hominum plus satis hoc funesto tempore à iure aberrantes afficiat vero studio quærendi vtriusque iuris: quia frustrà ius docebitur, nisi adest animus noscendi illius & retinendi studiosus; quem animũ tum ipsi nobis, tum aliis omnibus magis ac magis indi optamus à Domino. Id vnũ dicturi sumus, quod ex multis Scripturæ locis apud Mosem constat: quemadmodum populares, inter quos de iure non satis conueniebat, superiores suos consulebant, vt quid iuris esset ex eis cognoscerent; ita etiam eos qui iuri dicendo præerant, si ius non tenerent, aut non satis sibi tenere viderentur, non temerè & pro imperio consulentibus respondisse; sed potestatem summam, summum iuris potestatumque auctorem, consuluisse, ex
Num. 27. cuius ore (vt Scriptura loquitur) responsa darent. Atque hanc rem non solùm pij reges & principes diligenter obseruarunt in rebus humanis, verumetiam rerum sacrarum administri eo re-

eo religiosiùs ad consulendũ Dominũ adiuerunt, quo grauiùs in rebus sacris & diuinis quàm in profanis atque humanis peccari animaduerterunt: præsertim cùm sibi cõscij essent longè angustiorem ipsis esse potestatem à Deo attributam, id est, non auctoritate politica, sed administratoria solùm se esse præditos, suprà quem administrationis modum si quid arrogarent sibi, impium fore in Deum, & Ecclesiam eius sacrilegium.

Atque hoc illud est, ad quod nominatim Propheta respiciebat, cùm faceret mentionem *iuris*. Nam Deus inter vestes sacras λόγιον instituerat, quod vulgò ex translatione vetere Pectorale iuris appellatur: ex quo pectorali Deus per Vrim & Tummim respondebat extra ordinem consulentibus, siquid grauius, aut quod scientiam excederet ipsorum, oriretur. Hinc reges, hinc sacerdotes, hinc iudices responsa exorabant, & certi aliquid cognoscebant de rebus incertis. Quæ cùm ita sint, omninò videmus quàm verum sit illud quod antè dicebamus, hîc agi potissimùm de ordine Ecclesiastico, quo Deus sanctis olim voluit consulere & testificari præsentiam suam. sed ex eo sequitur alia esse perpetua in ordine Ecclesiastico, alia transeuntia. Perpetuũ habuit Ecclesia λόγιον inde à principio, & habitura est ad consummationẽ vsque sæculi: temporarium verò habuit prisca Ecclesia Iudæorum & ceremoniale præter alia pluri-

ma, λόγιον. Transiit ceremonia & antiquata est; λόγος in seculum permanet, quem nos cōsuluimus, & omnes administros Dei æquissimum est sepositis aliis omnibus studiis & occupationibus, quibus plus æquo inconsiderati & imprudentes quam plurimi immergùntur, studiosissimè consulere. Atque hæc quidem de potestate Ecclesiastica, quam Deus in Iudæorum Ecclesia auctoritate sua sanciuerat.

Illius autem potestatis & ordinis, sicut etiam humani, custodes instituit Deus Reges & Principes, quorum solia in pietate iustitiaque constabiliuntur à Domino. Propterea Psaltes ab his potestatibus, quas Ecclesiasticas appellauimus, ad ciuilem potestatem transit, subiiciens ibidem *thronos ad domum Dauidis* in vrbe Hierosolymorum consistere: tanquam si diceret Deum auctorem esse naturæ pariter ac gratiæ; ac proinde vt gratiæ administras potestates ordinat, ita etiam naturæ & humani ordinis potestates esse ab ordinatione eius: Cumque naturæ bona perficiat gratia ac nō aboleat, sapientissimè Deum prospexisse, vt quæ bona in ordine humano sunt, eadem in Ecclesia obseruentur: nō enim reiicienda esse, quia humana sunt; sed quia bona, retinenda & excolenda cultura salutaris gratiæ. Sunt ergo Reges, & Principes, & potestates humanæ in Ecclesia, & sunt de Ecclesia, cùm eiusdē capitis & corporis in vnitate Spiritus vna fide sunt effecti participes.

Qua-

Quapropter etiam hortabatur Apostolus, vt deprecationes, preces, postulationes, gratiarum actiones fierent pro Regibus, & quibusuis in eminentia constitutis. 1. Tim. 2.

Sed tamen cùm *domus Dauidis throni* disertis verbis hoc loco appellantur, tria illa capita in memoriam opus est reuocari, quæ antè distinximus, cùm de domo Iehouæ & Hierosolymis ageremus: Domum Dauidis nempe secundùm naturæ modum, secundùm figuram, & secundùm veritatem intelligi pro ratione locorum oportere: Secundùm naturam significari homines qui suo ordine extiterunt ex ea familia in rerum natura: Secundùm figuram eandem familiam intelligi, qua regnum spirituale Christi figurauit: Secundùm veritatem esse illud ipsum Spirituale regnum, quod Christus Dauidis filius æternùm possidet, quemadmodum angelus dixerat: Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur, dabitq. ei Dominus Deus sedem Dauidis patris ipsius. Luc. 1. Est autem regnum temporale, quodcunque in Ecclesia & inter homines humano ordine instituit Deus, ad custodiam omnis boni ita constitutum, vt ne illud quidem ipsum bonum spirituale, quod in Ecclesia disposuit Deus, alienum à cura ipsorum Regum haberi oporteat. Nam si humano ordine & instituto obligantur ad procurationem communis boni; certè ex quo illi in eo ipso humano ordine à Deo præsente sanctificati sunt,

reipsa obligantur humano & diuino iure etiam ad bonorum spiritualium procurationem. non dico administrationem: nam distincta sunt dona, administrationes, & operationes singulari prouidentia Dei. Quapropter nec reges in administrationes Ecclesiasticas inuolare possunt, nec administri Ecclesiastici in regias & ciuiles humanasque. singulis tantum est oneris, vt furore, non sapientia agi videantur, qui alia insuper onera sibi imponi petunt, aut etiam facilè patiuntur, quacunque occasione aut specie id fieri posse putauerint. De cura solùm & custodia loquor, quam piis regibus principibusque Deus semper demandauit: non vt leges ferant Ecclesiis quà Ecclesiæ sunt, id est, regno spirituali Christi, qui vnus animarum nostrarum legislator est; sed vt leges à Deo latas per administros eius obseruari curẽt, instent, & vrgeant, nequid de cultu Dei decedat, vnde ira ipsius in administros, regemque siue principes, & populares omnes accendatur. Hoc igitur commune est omnium temporum in Ecclesia Dei: singulare autem illius temporis fuit institutum illius regni, qua typus à Deo institutus est, quo spirituale regnum Christi fuit in rudi populo ante plenitudinem temporum adumbratum. Nam huius typi, veritatisque contemplatione Ecclesiam illam confirmare in omnibus rerũ difficultatibus & consolari voluerat inde à principio Deus, Abrahamo de ea dicens, In semine tuo

benedicetur

benedicetur omnibus gentibus: Dauidi verò longè glorioſiùs multa; vt cùm plurimis Scripturæ locis, tum Pſal. 89. demonſtratur luculentiſſimè. Etenim cùm priſca illa ætas quibuſdam veluti fulmentis opus habuerit, vt in expectatione Chriſti Ieſu firma cõſiſteret, ſapientiſſimè Deus prouiderat, vt quemadmodũ ſacerdotij, ſic etiam regni æterni illius vmbraculũ aliquod & veſtigium in rebus humanis exiſteret: quam ad rem tribus Iehudæ, & in ea nominatim domus Dauidis electa eſt. Quapropter etſi ordinem politicum in Eccleſia Dei planè oportet exiſtere, aut Eccleſiam ſeſe in eo ordine continere, denique alterum ordinem alteri coniunctum eſſe: id tamen ex hoc loco intelligendum eſt, ciuilis huius ordinis non tam propter neceſſitatem ipſius mentionem hoc loco factam (quæ tamen ſumma eſt neceſſitas) quàm propter typum à Deo inſtitutum, vt promiſſionum ſuarum de regno ſpirituali æternoque Chriſti veritatem aliquo pacto ante oculos priſcæ illius Eccleſiæ repræſentaret.

Atque hæ quidẽ adminiſtrationes in ea Eccleſia à Deo conſtitutæ ſunt, vt forma externa Eccleſiæ conueniente ordine ſeruaretur: qua forma ſinguli ad conſcientiam & probationem internæ illius formæ, quam principio dicebamus, quaſi ducerentur manu. Sed quia (vt olim dicebat Iuriſconſultus quidam) parum eſt ſi ius in ciuitate ſit, niſi ſint qui dicere poſſint; ita

etiam res se in Ecclesia habet; age de custodibus & curatoribus iuris istius videamus.

Custodes igitur iuris & ordinis sancti, quem hoc loco Ecclesia prædicauit, communi appellatione significati sunt domus vel familiæ Dauidis: quemadmodum apud Prophetas passim videmus eo nomine hanc domum celebrari, & contrà præ cæteris familiis in populo Dei reprehendi, si quando iusta ratio ordinis à Deo imperati publicè negligeretur. Huius autem custodiæ ac procurationis modus in his Prophetæ verbis duplex intelligendus est. Nam quà Dauid secundùm humanũ ordinem fuit potestate præditus, modus custodię humanus est; quà autem fuit typus Christi ex diuina institutione, diuinus modus; cuius in Christo & à Christo cõsummabatur veritas. Humani illius modi caput fuit Dauid; & quicunq. ad familiã eius pertinuerunt, ij quædã veluti membra extiterunt, cum summo illo capite ad corporis totius & ordinis in corpore conseruationem conspirantia secundùm Deum. Diuini autem modi caput vnicum & immutabile Christus est: qui ministerio non solùm sacerdotis summi, aut seniorum ex sacerdotibus, aut sacerdotum ipsorum atque Leuitarum ex ordine, verumetiam Prophetarum extra ordinem, quotiescunque visum esset, vtebatur ad hoc suum opus in Ecclesia sua promouendum. ex quo fiebat, vt hi quidem singulari sua vocatione in ministerio suo operam

188

ram consumerent; illi verò, Dauid inquam & qui ex familia eius, vrgerent ministerium illud, & ordinem humanum suum in procurando rerum sacrarum ordine religiosè occuparent. Sic videmus Psalmos à Dauide fuisse Ecclesiæ datos; & ordines ministerij sacri, adhibito Prophetarum & sanctorũ Dei virorum consilio, distributos: vt disertis verbis auctor libri Chronicorum aliquoties confirmauit.

Restat locus tertius, de stabilimento istius ordinis: quod Propheta innuit perpaucis verbis, dicens hæc *solia illic considere*. priùs quidem, vbi de fidelibus Ecclesiæ membris actum est, dixit tribus ascendere illuc ad testimonium Iehouæ: nunc verò agens de diuino ordine, aut rebus diuinis ministrante, qui Dei auctoritate institutus est in Ecclesia eius, dicit Propheta illo in loco considere. Id autem significare videtur Psaltes considendi verbo, Deũ auctorem istius ordinis in Ecclesia sua, tum stabiliuisse ordinem illũ, tum verò actiones illius ordinis præsentia sua direxisse & firmauisse ad gloriam suam. Considentenim, qui in pace sunt, aut qui immoti sunt ab aduersis rebus: Considentpræterea, qui maturè consilia ineunt, vt benè rebus gerendis præsint ac salutariter. Cùm itaque hi throni dicuntur considere, partim de pace & firmamento illorum prouisum esse à Deo intelligimus, partimque res iusto ordine consilioque prouisas, curatas, gestas, tanquam à sapientibus

tibus administris diuinæ voluntatis, in quorum
Psal. 82. consessu cõsilioque (vt alibi dicit Psaltes) Deus præfuerit. Enimuerò quidni sedissent sedente Domino? quidni substitissent, Deo suam sedem ac domicilium in eo loco statuente? Nam vbi tutiùs sedeat Ecclesia piorum, quàm in sede & habitatione Domini, sanctificantis præsentia sua & cõfirmantis electos omnes, ac præsertim administros suos? Quòd si illic, nõ alibi sedent, quid nobis cum illa ἀλλοτριοπραγία, quæ tam multorum infestat mentes? Hanc Spartam curemus singuli quam nacti sumus, & sequamur
1. Cor. 6. vestigia dicẽtis Pauli, Quid mea interest etiã de extraneis iudicare? nónne de iis qui intùs sunt vos iudicatis? de extraneis verò Deus iudicat.

O verè beatos illos, qui hac præsentia Domini apud suos versantis in animis suis confirmati ordinem illum diuinum agnoscunt; tum Ecclesiasticum, quo docentur diuina iura, & in fide ac obsequio sancto continentur pij; tum verò Ciuilem, quo intercedente atq. adiuuante ad studiũ diuini ordinis excitantur! Nam profectò, vt Deus vnus est, ita vnus ordo quem instituit Deus: si non vnus, ne ordo quidem est: Nam eo ipso quòd ordo est, vnitas eius statuitur. Quòd si ordo vnus est, quomodo vnũ esse omnes inter nos ordine, & pugnantes item animis inter nos possimus? Atqui vnum ordine diuinitus imperato sumus: throni ordinis à Deo instituti in Ecclesia, & in republica: in Ecclesia,

diuinus

diuinus ordo Christi, quem nemo sine impietate oppugnare potest: in republica, humanus ordo, cui nemo obsistit sine atroce in naturam ipsam contumelia. In Ecclesia, ius ab ordine diuino cognoscimus, ius constantissimũ ab æterna illa ratione proficiscens, & immutabile: In republica, iuris illius diuini habemus adiumentũ, & potestates administras propter hunc ipsum finem à Deo datas. Atque hæc omnia in sede quadam firma & immota, id est, in Ecclesia, sunt à Deo cõstituta: vnde administros suos iubet ordini publico & singulis membris ad hunc ordinem pertinentibus in sua quemque vocatione consulere, & omnes sanctificat præsentia sua.

Absit igitur à nobis, si Christiani sumus, si ordinem Ecclesiæ & reipublicæ omnisque societatis humanæ diligimus, si ius à Deo & naturæ ordine imperatũ, colimus; si stabile quoddam veræ pacis & tranquillitatis domicilium appetimus: absit, vt discidiis & contentionibus ordinem illum sanctissimum cõturbemus, quem Deus in Ecclesia sua obsignauit, & quo obsignat Ecclesiam suam. Absit, vt diuisi & diuulsi artibus violentiaq. Satanæ malimus esse, quàm in Deo vnitatis & pacis, & in catholica Ecclesia eius, vnitate spiritus, & vnitate ordinis contineri. Quòd si non omnes idem sentimus per omnia, absit, vt continuò statuamus nos vnum ampliùs non esse, qui rebus tam multis & prin-

& principalibus vnũ ſumus. Qui vnum Deum habemus patrem, à quo omnia, vnũ Chriſtum in quo omnia,& vnum Spiritum per quẽ omnia, vnum corpus in vnitate Spiritus,vnam fidem in præcipuis his capitibus,quamuis ſecundùm plus & minus (vt loquuntur vulgo) differentem,an propterea nos vnũ eſſe negabimus, & diſcidia inter nos faciemus, quia vnum per omnia ſententiis non ſumus? Quid? nónne in vno & eodem homine videmus voluntatem ſibi ipſi repugnantem, quæ tamen vna eſt? voluntas naturalis appetet quod refugiet intelligens, ſenſus voluntatem hominis contra intellectus iudicium excitabit: volet ægrotus vna voluntate ſanitatem & rem aduerſam ſanitati, hoc ſenſus, illud naturæ facultate: volet pius ſæpenumerò quod nõ vult Dominus,& tamen religio ſimul ipſi futura eſt velle quod non vult Dominus: quemadmodum ſimilitudine filij vitã petentis prorogari patri contrà quàm vult Deus, Auguſtinus olim demonſtrabat, an propterea duo homines fiunt, aut ſeipſum homo lacerat & manus affert violentas ſibi? Quod in vno homine fit, miraris fieri in tanto corpore? & quod in vno corpore fers, humano tamen; non feres in corpore Chriſti diuinitus adunato? nec eo ipſo tempore feres,quo inchoata eſt corporis illius coagmentatio, cùm in perfecto homuncionis corpore, id eſt, ad perfectam ſtaturam vel conſtitutionẽ ſuam eucto feras? Deus

meliora.

meliora. Contendamus potiùs omnes vno animo, vt quamuis diuersum sentientes in rebus particularibus, vnum in communi simus: Erigamus oculos ad cõtemplationem throni illius gratiæ in cælo positi, vbi non solùm dissentientes, sed (quod grauius est) inimicantes Deo sunt reconciliati Deo per sanguinem Christi. Si me offendit alter in re humana dissentiens, condonare iubeor auctoritate Domini: qui autem à me dissentit in causa fidei, si errat, non me offendit, sed Dominum suum. Dominus autem condonat; ego non condonem? Deinde si errat, non reuelauit Dominus ipsi; ferendus est errans; expectandus Dominus qui errantem doceat; & manus nostræ non ad depellendum errantem, sed ad viam monstrandam potiùs adhibendæ, si Deus operam nostram ad salutem & institutionem eius volet occupari. Nam quis nescit propterea Euangelium & vniuersam doctrinam salutis mysterium appellari, quòd sola reuelatione gratiæ homini innotescat? aut, prout Christus ipse dicebat Nicodemo, quis ignorat nullum ascendisse in cælum, & res cælestes perinde nouisse ac si peruestigasset coràm, nisi eum qui descendit è cælo, filium hominis qui est in cælo? Quis non audiat Iesum Christum clara voce inclamantem patri, & dicentẽ, Gloriam tibi tribuo, pater domine cæli & terræ, quòd hæc occultaueris à sapientibus & intelligentibus, & ea retexeris infantibus? *Ioan. 3.*

bus? Quis in seſe reflectens oculorum aciem non agnoscat,& sentiat illud,quod optimè do-
1.Cor.2. cet Apostolus de ministerio diuini verbi, sapientiam dei non seculi huius, neque principum seculi huius qui abolentur, sed sapientiam dei in mysterio positam? occultā sapientiam, quam præfinierat Deus ante secula ad gloriam nostram? quam nemo principum seculi huius cognouit? sapientiam rerum quas oculus non vidit,nec auris audiuit,nec in mentem hominis venerunt,quas parauit Deus iis à quibus diligitur? quam sapientiam Deus solus retegit per spiritum suum,prout spiritus scrutatur omnia, etiam profunditates Dei: Nam vt nemo hominum nouit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in eo; ita etiam ea quæ sunt Dei,neminem nouisse nisi Spiritum Dei,& quicunque Spiritum ex Deo acceperint: animalem hominem non esse capacem eorum quæ sunt Spiritus Dei: Nam ea illi stultitiam esse,nec posse ab illo cognosci, quia spiritualiter diiudicantur. Et tu,homo,non feras hominem in naturæ tenebris errantem?, quem Deus fert ante oculos tuos tolerántia sua,& vocat grátia? absit à nobis isthæc insánia.

Quòd si ne illa quidem ipsa auctoritate Diuini verbi ab ista præsumptione iudiciorum nostrorum deducimur:pudeat saltem Christianos, pudeat eos omnes qui Christiani audire volunt,intolerandæ istius audaciæ, cùm homi-

nem

nem naturalem & scientiæ humanæ inanisque philosophiæ opinione inflatum, plus humanitatis in suis iudiciis habuisse audient. Themistium illum philosophum in historia Ecclesiastica legimus longè mitiorem & æquiorem erga Christianos fuisse, quàm ipsi Christiani sint. Narrat enim Socrates, cùm Imperator Valens Antiochiæ degeret, & quiescens à bellis exteris incursionibusque barbaricis grauiter infestaret orthodoxos, & quotidie maiora supplicia in eos excogitaret; tandem opera Themistij illius Philosophi acerbissimam illam sæuitiam hominis fractam, & ipsum ad maiorem æquitatem & moderationem reuocatum esse: nam libellum de ea causa Valenti inscripsisse, quo nominatim ipsum Imperatorem appellabat, docebatque non esse cur mirum ipsi videretur, si fortè Christianorum dogmata interdum dissiderent, nec inter se conuenirent planè. Etenim reuerà perexiguam esse illorum discrepantiam, si cum multitudine & confusione dogmatum comparentur quæ apud Græcos obtinebant, illorum enim esse amplius trecenta dogmata. In rebus autem quæ sola opinione percipi possunt, prout ex necessitate, si quid homo in rebus diuinis percipit, opinione percipit, (nam fidem nesciebat carnalis Philosophus) plurimum fieri, vt dissideant valdè sententiæ: & Deú ipsum velle gloriam ita sibi conciliare dissidentibus hominum sententiis, vt eo magis quisque reuereatur

Hist. Eccles. lib. 4. cap. 32.

maiestatem eius, quandoquidem cognitio eius non est illi exposita ad voluntatem animi. His sermonibus & consimilibus argumentis appellatus à Themistio Imperator Valens senior in orthodoxos effectus est. Quòd si natura duce humaniter cogitandum in causa religionis de hominibus esse iudicauit Philosophus ignarus veritatis, vtens axiomate quòd Sapiens confirmauit, gloriam Dei esse celare verbum: si Philosophi illius monitis fractus est quodammodo Valentis Imperatoris animus, qui sanguinem & cædes Christianorum tanta ferocitate spirauerat; quid nos Christianos, obsecro, necesse est facere erga ignorantes aut errantes quosque? quibus sermonibus reuocare in viam? qua commiseratione animi dies & noctes de miserorum errantium institutione & salute laborare? Hoc nos omnes docet, huc ducit natura ipsa, & humanus ordo, & diuinus ordo, & communis Ecclesiæ, & priuata singulorum de gratia salutari Dei experientia, & constantissima Dei ex verbo ipsius testificatio; quibus omnibus nos præstat cedere, quàm particulari corruptioni naturæ nostræ in nostram ipsorum & aliorum perniciem obsequi.

Prou. 25.

6. Expetite

6. *Expetite pacem Hierosolymorum* dicentes, *Tranquilli sint amantes tui:*

7. *Sit pax in præmunitione tuà, tranquillitas in palatiis tuis.*

QVAM multis circumsideamur bonis à Domino in Ecclesiâ eius, & quantam lætitiam in animis nostris ex eo percipiamus, hactenus satis, iudicio meo, ex verbis Prophetæ audiuimus. Nam cùm & priuatis singulorum membrorum officiis, & communibus Dei in corpus totum Ecclesiæ summisque beneficiis intus & foris demonstratis, potentissimè Propheta se & Ecclesiam priscam suis temporibus ad hanc lætitiam excitauerit: nos, qui Deum esse nouimus constantissimum in promissionibus gratiæ, & salutari beneficentia in Ecclesiam suam, iisdem argumentis vti necesse est, vt confirmemur ipsi, & alios in cognitione ac cõscientia eiusdem boni, quo ad eius per nos fieri potest, confirmemus.

Atque hæc quidem Christiana lætitia in nobis eiusmodi est, vt omnem metum omnemque dolorem eximere ex mentibus nostris & fugare possit, si eam animo verè concepimus. Sed quia illius gratiæ virtutisque diuinæ (quæ in se est absolutissima perfectissimaque) sensus est in nobis imperfectissimus: propterea visum

est Spiritui sancto, exposita per Prophetam lætitia spirituali nostra, certissimisque illius argumentis, effectum lætitiæ illius coniunctissimum reliquo Psalmo exponere; nimirum publicam denunciationem lætitiæ illius ex studio Christiano, procurationemq. diligentissimam illius lætitiæ propagandæ in vniuersitatem Ecclesiæ; ex quo ingenerarum est in nobis spirituale gaudium, de quo antè diximus. Id enim naturale est, vt lætitia hominem quasi fundat & dilatet modis omnibus; vt contrà, tristitia contrahit hominem, & quodammodo in angustum cogit: qui lætatur, diffunditur in se, & extra se, nec potest quin erumpat apud alios in testificationem lætitiæ suæ: quam rem sensus naturæ docet, & parabolis euidentissimis expressit Christus, viri qui ouem perdiderat, fœminæ
Luc. 15. quæ drachmam, & patrisfamilias qui filium. Secundùm hanc igitur rationẽ Propheta suam ipsius & communem Ecclesiæ lætitiam cùm descripsisset verbis antecedentibus, iam venit ad illam inclinationẽ naturalem lætitiæ, nimirum ad publicam denunciationem illius, & salubertimam adhortationem ad pacem, qua lætitia alitur atque continetur ad Dei gloriam.

Docturus autem Propheta illud officium pacis ad lætitiæ conseruationem perneccssarium, duobus modis credentes instruit de hac Christiana pace. Nam primùm hortatione vtitur vehementissima, tanquam præco religiosissimus

voluntatis

voluntatis Dei versu sexto & septimo, quos antè exscripsimus: Deinde verò suum ipsius exemplum spondet, & ante oculos piorum exhibet, sese velut ducem futurũ ex facto ad ista pietatis officia, non autem vocalem solùm præconem, spectatorem, hortatoremque otiosum, duobus versibus vltimis. Cùm autem sermone instituit docere alios Christianam pacem; tanquam doctor fidelissimus in schola Domini, primùm rem ipsam imperat, deinde præit verba singulis ad rem quam imperauit pertinentia. Rem enim ipsam imperat summatim, dicens; *Expetite pacem Hierosolymorum*: Verba autem præit credẽtibus quibus hoc imperat, cùm subiicit, *tranquilli sint amantes tui* &c. oratione conuersa ad Hierosolyma.

Ac primùm quidem quid sibi velit Psaltes Hierosolymorum appellatione, satis (opinor) constat ex præcedentibus. Nam versu 2. & 3. rem totã copiosè explicauimus. Pax verò quid significet, nobis videndum est; vt singuli suum officium, ad quod excitantur his verbis, tenere possint. Vt itaque paucis absoluamus, cùm desiderium pacis vniuersè hoc loco præcipiatur, & huius ipsius pacis sequentibus verbis tradatur enarratio, ne longiùs abeamus, Pacis nomine intelligimus constitutionem vacuam ab omni malo, & in omni bonorum genere intus & foris quiescentem. Ac proinde, quia pax certa homini esse non potest, qui nõ solùm intus abun-

dat malis & bonis vacuus est, sed etiam foris omnibus malis appetitur, & ab omni bono quasi refugitur: ita è diuerso pacem homini illi esse statuimus, quem bona certatim appetunt & fugiunt mala. Eademque ratione de Ecclesia dicimus, quam vrbs Hierosolymorum olim adumbrauit; hanc dici pacem illius, cùm ipsi bene est ac non malè. Quomodo autem Ecclesiæ bene esse possit, superiora docuerunt. Bene est Ecclesiæ; quæ lætatur de filiis suis; ad quam filij adeunt & adhærent; cuius forma interna, est Deus; externa, communio sanctorum, cum Deo verbo salutis & precibus, & piorum inter se iusto ordine quem Deus instituerit ad coagmentationem sanctorũ, ad ædificationem corporis Christi. His rebus vera pax Ecclesiæ continetur: quemadmodum vera pax & iusta corporis constitutio in optima formæ internæ, atque externæ, & actionum omnium, accidentiumque commoditate versatur. De hac pace quam pij cum Deo habent, cum animis suis, cum Ecclesia tota, & cum membris singulis eius, & cum omnibus hominibus, Propheta nunc demùm loquitur, & omnia antegressa bona comprehendit hac vna pacis appellatione, dicens: *Expetite pacem Hierosolymorum.*

Hierosolyma, id est, Ecclesiam Dei bonam esse confitemur omnes, tanquam Dei viuentis domum: tum pacem illius domus bonam & iucundam esse. Vnum à nobis desideratur; vt

cùm

cùm bonam esse Ecclesiam,& bonam Ecclesiæ pacem sentiamus omnes in nostra cõscientia, nos quoque bonum officium erga Ecclesiam, quam prædicamus bonam, & ad pacem,quam natura bonam esse docet, faciamus. Huc nos hortatur & vocat Propheta dicens; *Experite pacem Hierosolymorum*: tanquam si diceret; Ita estis singuli à natura comparati, vt neque bonum priuatum vestrum, neque commune noueritis;ac ne illud quidem expetatis, aut etiam procuretis, si quando nouisse datum est; adeò magnæ sunt in vobis tenebræ. Quòd si in ipsis humanis rebus non videtis, quid vobis, quid publico vtile esse possit; multo magis aberraturi essetis à bono spirituali vestro,& Ecclesiæ Dei, quarum rerum notitia nemini nisi ex reuelatione Dei potest obtingere. Nunc verò cũ per Dei gratiam ex præcedentibus constet, Deum, Ecclesiam, & fratres germanos vestros à Deo in Ecclesia genitos,& vos denique ipsos à vobis cognosci prælucente face diuini verbi: videte, ne in malo naturæ vestræ torpentes hæreatis, néve à bono prosequendo, cuius notitiam impertiuit Deus, abstineatis impiè; sed bonum publicum Ecclesiæ, & priuatum spirituale vestrum in Ecclesia procurate,quibuscunque modis pote est. Quod si plura nõ potestis (quem- 2. Cor. 3.
admodũ reuera non sumus idonei per nos ipsos ad cogitandum quidquam velut ex nobis ipsis; sed quòd idonei sumus, illud ex Deo est,) sal-

tem date operam, vt votis ardentibus ex animo, religiosissimisq. precibus coram Domino contendatis, & intus studia vestra quam diligentissimè accendatis ad pacem, id est, bonum publicum Ecclesiæ, & in ea priuatum vestrum procurandum. Hoc igitur summum præceptū est, ad quod pios hortatur Psaltes ex antecedentis lætitiæ causarumque lætitiæ argumento.

Cùm autem præceptorum diuinorum omnium eiusmodi sit auctoritas, vt quibuscunque præcepta dantur, ij præceptis illius obsequi teneantur sine exceptione vlla; profectò nos, qui singulari Dei beneficio in Ecclesiam ad perceptionem voluntatis eius vocati sumus, necesse est de obsequio fideli cogitare, vt pacem Ecclesiæ petamus, quemadmodum nobis præcepit Deus. Ac propterea, ne fortè in petendo incerti simus, tanquam si nesciremus quid à quo peti oporteat, indidit Propheta piis velut in os sanctissimam petitionis formulam, cùm dicit: *tranquilli sint amantes tui, sit pax in præmunitione tua, &c.* Huius enim petitionis loci duo sunt à Propheta indicati, incremento conuenientissimo, cùm pacem Ecclesiæ docet peti à nobis oportere & foris & intus, communiter & singulariter: Foris quidem etiam iis qui amant Ecclesiam communiter, quamuis nondum sese illi adiunxerint; intus verò singulariter, domesticis fidei & Ecclesiæ catholicæ. Nam quemadmodum si quis pacem habitationis suæ desiderauerit,

uerit, circumspiciat opus est foris, quæ impedimenta arcenda, quæ adiumenta retinenda; deinde verò dispiciat intus quid ipsæ partes habitationis postulent; ita etiam pios omnes post omnem hominum memoriam Deus informauit, vt in hoc domicilio mundi omnibus benè cupiant, & pacem colant cum omnibus, quoad eius fieri potest, vt Romanis scribebat Apostolus; deinde vt ipsi Ecclesiæ ante omnia benè cupiant secundùm Deũ. Quinetiam hunc ipsum ordinem, quem nobis præscribit Psaltes, Deus in suis promissionibus quas enunciauit Abrahamo, distinctè seruauit, ne quemquam Christianum tædeat illud postulare, quod in promissionum numero recensuit Deus. Dicebat enim primùm de omnibus etiã exteris; Benedicam iis qui benedicent tibi: postea verò de Ecclesiæ Christianæ membris subiecit illud alterum; Benedictæ erunt in te omnes familiæ terræ. De omnibus ergo promiscuè, etiam exteris, ab Ecclesia Dei pronunciantur hæc verba, *tranquilli sint amantes tui*; de ipsis verò domesticis sequentia enunciata sunt. *Rom. 15.* *Genes. 12.*

Ac prius quidẽ per se est euidens: si tantùm illud obseruemus, amantium Ecclesiæ duo esse genera, prout distinctè à Psalte enumerantur paulo pòst octauo versu, dicendo; *propter fratres meos, & amicos meos*, &c. Sunt enim hi fratres, id est, germana Ecclesiæ membra, & iamiam ex facto ad eam pertinentia in Christo Iesu, aut

etiam in ea degentia secundùm formam externam & ordinem aspectabilem illius; illi verò amici, quamuis extra Ecclesiam positi, qui nec oderunt Ecclesiam animo, nec sermone aut facto obsunt; sed aut bene cupiunt ipsi ex animo, quamuis ipsi sibi id non cupiant boni, aut certè amicè ferunt, vt Ecclesia sit, atq. tranquilla sit: de quo genere dicebat Christus, Qui non est
Luc. 9. aduersum nos, pro nobis est. Pro his ergo omnibus Ecclesia postulat, vt ipsis bene sit, & tranquillitate fruantur, denique communibus secum beneficiis magis ac magis cumulentur à Domino.

Alterum verò optatum in versu 7. quod ad domesticos Ecclesiæ pertinet, duas partes illas pacis euidenter notat, de quibus antè dicebamus in definienda pace. Ad iustam enim & veram pacem desiderantur duo: defensio à malo, & bonorum pacis perceptio. De vtroque precees concipiendas ostendit Psaltes verbis paucissimis; & seruata typi illius, qui tum ad figurandam Ecclesiam fuerat datus, allegoria. Ierusalem typus erat Ecclesiæ: ad tranquillitatem vrbis illius duo hæc fuerunt opus, tum vt aduersus mala foris minantia & irruentia circummunita esset vrbs, tum vt intùs abundaret bonis. Defensionẽ à malo Prophera his verbis docuit expetendam; *Sit pax in præmunitione tua*: Constitutionem verò stabilem in bono ac florentissimam postulare docuit illis; *Sit tranquillitas in pa-*

in palatiis tuis. Etsi ne hoc quidem prætereundum videtur silentio, quòd in hoc vtroque genere præstantiam summam bonorũ ad pacem pertinentium amplissimis vocibus denotauit. Nam de illa defensione à malo acturus, non simpliciter murum, fossam, vallum, aut aliquid simile appellauit; sed voce ampliſſima vsus est, quoduis munimentum, idque potentissimum & commodissimum ad defensionem significante. De interna verò bonorum copia tam magnificè loquitur, vt dignitatem Ecclesiæ non possit quisquam ampliùs extollere, cùm *palatia* nominaret. Videbat enim Propheta omnes pios in Christum & Ecclesiam insitos, reges & sacerdotes apud Deum patrem in Christo factos, regale sacerdotium, vt appellat Petrus; 1. Pet. 2. siue, vt Moses, regnum sacerdotale. Exod. 19. Huic dignitati piorum dignas stationes voluit demonstrare à Deo attributas, ac velut prætoria & regales domos, cùm trãquillitatem inesse palatiis eius expeteret: De rebus videlicet spiritualibus tam magnificè in fide sentiens, vt sibi ipse non posset satisfacere, nisi res illas in spiritu magnificas vocibus magnificis secundùm corpus exprimeret.

Videmus ergo ex Prophetæ verbis, quidnam illud sit quod expeti à nobis omni tempore necesse est. Sed à quo expetamus, nisi à Deo, qui potest explere petitionem nostram? Deus igitur, Deus ille noster, auctor Ecclesiæ, custos & hospes

hoſpes conſtantiſſimus illius, ad quem Eccleſia reſpiciens nihil non habet boni, à quo reſpiciens aliorſum nihil non ſentit mali: is ergo ipſe eſt, qui hæc curare poteſt Eccleſiæ efficaciſſimè, & à quo nos indeſinenter opus eſt petere quæcumque ad pacem & tranquillitatem illius pertinent. neque dubium eſt, ſi ex animo fidem & miſericordiam illius imploremus his ipſis ferreis & luctuoſſimis temporibus, quin oculi ipſius ſuper iuſtos inuigilaturi ſint, & aures ipſius attentæ futuræ ad pias preces & ſuſpiria illorum.

Sed quia Deus pacem & tranquillitatem Eccleſiæ ſuæ non ſolùm procurat immediatè (vt loquuntur) arbitratu ſuo, verumetiam quibuſcunque viſum eſt mediis vtitur ad præſtandam pacem & tranquillitatem illius; videamus ne ſinguli noſtri deficiamus ab officio noſtro, ſi fortè Deus nobis, tanquam inſtrumentis indignis quidem, ſed ſanctificatis ab ipſo per gratiam, ad tantum opus dignetur vti. Nam quid nobis miſeris futurum eſt, ſi quod ore petimus, illud manibus pedibuſque obnixè oppugnemus? aut ſi nec manum nec pedem admoueamus, cùm honorem iſtum Deus nobis habuerit, & ad opus immerentes gratioſiſſimè vocauerit? quod ergo petimus ſermone, petamus animo; quod animo & ſermone petimus, idem etiam modis omnibus appetamus, & ſtudium, operam, laborem, induſtriamq. noſtram

eò

eò conferamus, vt idipsum quod petimus, tandem beneficio Dei, vt benedicturi officio ministerioque nostro, assequamur. Hoc autem vt faciamus sanctè, meminerimus ab eo qui omnia dat, expeti omnia; ab iis verò qui possunt aliquid ministrare secundùm voluntatẽ Dei donatoris omnium, aliqua postulari secundùm Deum oportere. Itaque omnia omninò à Deo petimus; ab aliis, aliqua secũdùm Deum. Cùm autem ab aliis dicimus; quis adeò desipit, vt aliorum officium meritò desiderari putet, & dissimulari nostrum? Quæcunq. creaturæ sunt, tenentur secundùm Deum ministrare voluntati eius. quid ergo exigamus ab aliis, quod nosipsi præstare minimè cogitamus? Vtrumq. opus est in expetenda pace & tranquillitate Ecclesiæ: tum vt ipsi summo desiderio procuremus & colamus eam, tũ vt proximos ad idem officium religiosè excitemus. Proximos autem omnes vniuersè prouocari ad hoc officium erga Ecclesiam Dei oportere docemur natura, & auctoritate Scripturæ: quemadmodum Christum legimus præcepisse, Diligite etiam inimicos vestros, benedicite iis qui deuouent vos &c. & Paulum præcipientem, si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus in pace viuite. Sed quia varia est proximorum (vt in Scriptura vocantur) ratio, & ipse quoque Propheta in hoc loco aliquam distinctionem adfert; paucis de ordine eorum dicendum est,

vt me-

vt melius constet, quid quibus peti & præstari oporteat. Proximi omnes alij aliis secundùm speciem à natura sumus: Sed Proximorum duo genera statuimus, nos quidem qui in Ecclesia sumus. Nam alij in Ecclesia sunt nobiscum, alij absunt ab ea: Quorum illos Apostolus vocat
Gal. 6. domesticos fidei, ad Galatas scribens; hos ad
1. Tim. 3. Timotheum, exteros vel extraneos appellauit. Exterorum verò rursum duo sunt genera. Nam alij sunt amici Ecclesiæ Dei, alij inimici. Qui amici sunt, aut ita sunt amici, vt bonum curent Ecclesiæ humano animo, aut saltem amici eatenus, vt malum illius non expetant; sed simpliciter in eo acquiescant, vt si potest bene esse Ecclesiæ, bene sit. Inimicorum verò qui Ecclesiam oderunt atque persequuntur, alij ignoratione sunt inimici, alij perturbatione & studiis particularibus, alij denique malitiosa voluntate. Quid faciamus cum istis omnibus, quicunque ad expetendam pacem Ecclesiæ vocati sumus? Argumentum graue atque odiosum: sed tamen tam necessarium in hoc tempore quàm quod maximè. Quapropter de eo dicturi sumus quàm breuissimè poterimus, vt rationem pacis expetendæ procurandæque in tot tantisque impedimentis certam teneamus: Et dicemus diuerso ordine, vt ita paulatim ad singulorum gradum explorationem veniamus.

Primum igitur est, quid facto opus ad pacem Ecclesiæ, si res nobis cum iis futura est qui voluntariè

voluntariè certaque malitia inimici sunt illius? Stat sententia, pacem Ecclesiæ procurari à nobis oportere: Cumq. pax sit in vacatione à malo & fructu boni posita, non esse cum iis aut apud eos de pace Ecclesiæ agendum, qui malitiosè procurant malum ipsius. Quapropter si pacem Ecclesiæ verè procuremus, & instrumenta eiusmodi nobis oblata videamus quæ pacem impeditura sunt, non sunt commouenda: Sic enim præcepit Christus dicens; Ne date quod sanctum est canibus, nec proiicito margaritas vestras coram porcis, nequando conculcent ea pedibus suis, & conuersi lacerent vos. Nam tu qui pacem expetis, quorsum eos commoueas, qui nihil nisi oppugnent Ecclesiæ pacem? Sed hîc tamen duplicem à Christiano homine cautionem desidero; ne quando prudentiæ opinione veniat cõtra charitatem, quam omnibus debemus, teste Apostolo. Vna est, ne temerè iudiciũ feramus de vllo homine, quòd certa malitia & deliberata, siue (vt Moses loquitur) elata manu oppugnet Deum, & veritatem, & Ecclesiam eius. Altera, si iudicandum est, ne ex fructu vno aut altero putemus nos arbores illas malas cognoscere; sed potius ex fructibus plurimis & grauissimis discamus cognoscere quod satis est ad cautionem nostram, non autem ad illorum cõdemnationem. Hunc ordinem nos docuit Christus diligentissimè, dicendo: Primùm quidem, ex fructibus eorum agnosce-

Mat. 7.

Rom. 13.

Num. 14.

Mat. 7.

agnoſcetis eos.; poſtea verò ſubijciendo cautionem illam perneceſſariam, vt iudicium Deo permittamus, cùm inquit, Non quiſquis dicit mihi, Domine Domine; introibit in regnum cælorum; ſed qui facit quod vult pater meus qui in cælis eſt. Multi dicent mihi die illo, Domine, Domine, nónne pér nomen tuum prophetauimus? & in nomine tuo dæmonia eiecimus? & per nomen tuùm multas virtutes edidimus? Tunc autem profitebor eis, Certè nunquam noui vos; diſcedite à me qui operam datis tranſgreſſioni legis.

Quòd ſi res nobis cum eo futura eſt, qui ſingulari perturbatione victus, & cedens infirmitati ſuæ, Eccleſiæ aduerſabitur, eadem planè ratio à nobis obſeruanda eſt, dum homo ita eſt. tantùm diſcrimen illud adhibendum, quòd Chriſtianum hominem perturbationi præſenti oportet ad tempus cedere, & dare operam vt prudenter ac commodè miſer homo iámiam ex perturbatione animi ſui reuocetur, aut expectetur dum ſidat quodammodò illa animi perturbatio, prout homini ebrio fieri à nobis ſolet. Id enim natura docet, ſalubriùs remedia ægroto adhiberi, cùm acres illæ morborum ἀκμαὶ & perturbationum impetus quaſi refracti ſunt: & notum eſt illud dictum Cleoſtrati, qui cùm ebrius eſſet grauiter, cuidam ſibi dicenti; Non te pudet quòd ebriùs factus es? reſpondit illicò, Et te non pudet, quòd mones ebrium?

Hic

Hic enim verè dictum illud est à Salomone ad- Prou. 25.
hibendum, Velut mala aurea cum figuris argenteis est verbum dictum cōmodè. vt monile aureum, & ornamentum ex insigni auro est reprehensor sapiens apud aurem auscultantem.

Quòd si ignorantia veritatis hominem videbimus Deo, Ecclesiæ, & veritati Dei in Ecclesia aduersari; omninò videndum nobis est, vt in charitate expetamus institutionem hominis illius; nitendum vt præbeamus, quàm prudentissimè modestissimèque poterimus, lucem veritatis, qua tenebras mentis illius depellamus. Sed cum his omnibus vniuersè, qui inimici sunt, id semper nobis videndum est vt pacem Ecclesiæ præoptemus, & ante omnia expetamus. Quòd si cum bona Ecclesiæ pace his prodesse possumus, faciamus sanctissimo studio salutis ipsorum: sin autē pax Ecclesiæ aut membrorum eius periclitabitur propter voluntatem, perturbationem, aut inscientiam istorum, abstineamus potius ab eis commouendis, quàm vt pacem dimoueamus Ecclesiæ, donec misericors ille Dominus, qui nostri misertus est cùm sibi inimici essemus, viam patefecerit illis misericordiæ. Ad summam, quod veteres monuerunt olim non esse mouendum malum quod bene positum est, id in hoc hominū genere obseruari opus est accuratissimè. Videndum vt ab iis qui semper mali sunt, certoque consilio dant operam malo, ne bonum quidem expetamus,

aut commoueamus magno siue Ecclesiæ, siue nostro ipsorum, aut aliorum malo: Ab iis verò qui infirmitate aut ignoratione rapiuntur in malum, mouendis tantisper caueamus, dum ita se habent: sed potiùs studeamus eis benefacere, cùm erit commodum, quàm malum ipsorum accendere; ne spe beneficiorum nobis accersamus importunè malum.

Sed quid si homines erunt non inimico erga Ecclesiam & pios animo? horum duo genera, quæ antè dicebamus, semper distingui necesse est: Nam alij sunt non inimici, alij verò amici reipsa, & bono animo in Ecclesiã Dei ac membra illius. Cum iis autem qui non inimici sunt, hic modus ad procurationem pacis in Ecclesia tenendus est, vt potiùs vincas animos ipsorum & amicitiam concilies bonis sermonibus, officiis, exemplis, & rebus consimilibus, quàm vt importunè ab illis exigas benefacta: Animum istorum adduci priusquàm manus necesse est. qui secus fecerit, is præposterè de officio iudicat illorum, & suo: quod magnæ est imprudentiæ.

Sin autem homines amici sunt, qui animum vltrò adiecturi sint ad benefaciendũ Ecclesiæ, hîc vtrumq. fieri pro commoditate potest, nostra officia in illos exerceri, & vicissim illorum erga Ecclesiam occupari: vt tum nostris beneficiis lucrifiant Christo, præsertim fiducia nostra de ipsis explorata, tum etiam suis ipsorum factis quodammodo obstringantur ad cõstantiam

tiam illius sui in benefaciendo studij. Nam cur hoc modo non certemus benefaciendo cum illis hominibus? quibus Deus fecit promissiones causa Ecclesiæ suæ, & amplissimam quandam earum partem cum piis assignauit: quos Christus pro nobis dixit esse, quandoquidem non sunt aduersus nos: quibus promisit mercedem Prophetæ, si vas frigidæ in nomine Prophetæ ministrauerint: quorum societatem Abraham, Dauid, & pij omnes in Testamento vtroq. conciliare sibi nõ dubitauerunt, cùm & cõmunitate naturæ, & promissionum diuinarum consociatione hos sibi cõiunctos esse boni animaduerterint. Temeraria de his iudicia interdum audiui plus satis: à quibus Christiani abstineant oro & obsecro, ne in veritatem diuinam communemque charitatem impingant periculosissimè.

Gen. 12. *Luc. 9.* *Mat. 10.*

Quòd si his benefieri à nobis oportere, & (quantum quidem per eos fieri potest) pacem Ecclesiæ ab his secundùm Deum conuenit expeti; quantò magis & maiore etiam fiducia hoc ipsum expeti ab iis necesse est, qui censentur in numero domesticorum Ecclesiæ? Atque hæc causa est, cur nos passim Apostolus ad Christiana erga fratres nostros germanos Dei in Ecclesia filios officia accendit monitis saluberrimis, & hortationibus vehementissimis: modumq. officiorum istorum præscribit diligentissimè, vt cum omni modestia ac mãsuetudine, cum animi lenitate tolerantes alij alios per charitatem,

Ephes. 4. ſtudeamus ſeruare vnitatem Spiritus per vinculum pacis, & fundamenta principiaque horum officiorum quàm accuratiſſimè adſcribit, dicens; Vnum eſt corpus, & vnus Spiritus, ſicut & vocati eſtis in vnam ſpem vocationis veſtræ: vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnes, & in omnibus nobis.

Atque his quidem omnibus officiis omnes promiſcuè tenemur alij erga alios in Domino: ſed tamen cùm ad eos reſpicio quos Deus ſingulari vocatione inſtruxit in Eccleſia ſua, vt faciant & doceant quæcunq; ſibi à Domino præcepta ſunt, quo grauiorem eſſe video obligationem illorum, eo grauiorem quoque video & horreo condemnationem, ſi ab his officiis, quæ Deus docet, docendis & faciendis abſceſſerint. Quid enim? qui Angeli ſumus Domini, miniſtri Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei, qui non ſumus noſtri iuris, ſed Domini noſtri Ieſu Chriſti ſumus, qui per ipſum mancipati Deo & Patri, & immiſſi ad colendam ſanctam vineam illius, putamúſne licere nobis quod vulgo non licet? aut quod in aliis culpamus, in nobis vacare culpa? non cogitamus vnquam exemplum illius inſtrumenti electi à Do-
1. Cor. 9. mino, dicentis; Quiſquis certat, in omnibus eſt continens; illi quidem qui in ſtadio currunt, vt peritaram coronam accipiant; nos autem, vt incorruptam. ego igitur ita curro, vt non in

incer-

incertũ; ita pugilem ago, vt aërem non cædam; sed contundo corpus meum & in seruitutem redigo, nequo modo cùm aliis prædicarim, ipse fiam reiectaneus?

Quapropter mea nũc ad vos, ô fratres charissimi & symmystæ obseruandi, sese conuertit oratio, qui præfecti estis ouili Domini, vt agatis & pascatis greges qui vobis commissi sunt ex auctoritate illius, & qui rationem illi Episcopo animarum nostrarum & summo pastori ouium estis reddituri, non solùm de vita, verùm etiam de administratione vestra. Nam quòd omnes in populo Dei siue in Ecclesia debent, id & vos debetis; ac proinde cum aliis omnibus pacem Ecclesiæ debetis postulare, & omnibus viribus, vt oues Christi, propugnate. Sed quia amplius quàm aliæ oues Christi accepistis, siue dono, prout variè sua dona admetitur spiritus illius; siue vocatione, qua singulis imperata & commendata est sua administratio: propterea à nobis suprà quàm aliis necessaria est accuratio in gerendis rebus, quas fidei nostræ commisit Dominus. sermonem suum commisit nobis: in Ecclesia sua mandauit eloqui, & pascere oues suas: præire iussit exemplo fidei: probari voluit exitum conuersationis nostræ; propterea q. nos id semper ante oculos habere, vt typi simus bonorum operum, quæ grex Christi sequens consideret atque, imitetur. Sal terræ, lux mundi fuerunt Apostoli: hac dignitate officij omnes

communicant qui sermonem illum Domini, quem tradiderũt Apostoli, prout à Christo acceperant, præferunt in ouili eius. Ambulent sanè alij in vocatione sua sibi ipsis, id est, suo & paucorum, quibus sunt coniuncti, commodo: at nos quibus dispensatio bonorum istorum fuit concredita, siue stamus, siue cadimus, non solùm Domino nostro & nobis (vt alij) stamus, aut cadimus; sed aliis quàm plurimis, qui nobis labentibus collabuntur & consistunt stantibus. Optima quæque de omnibus concipio, & opto ex animo: cùm tamen ex priscis recentibusque exemplis incommoda plurima Ecclesiis allata videam imprudente multorum administratione, qui nec dignitatem sermonis diuini, nec veritatem vocationis suæ, nec pacem Ecclesiæ satis prudenter expenderunt, dabitis veniam pro vestra in Deum Ecclesiamque pietate, si postquã de omnibus Ecclesiæ membris in commune dixi, aliquid etiam speciatim de iis dixero, qui communi corpori Ecclesiæ ex vocatione Dei tenentur consulere; vt pastores in ea dati, ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerij, & ad ædificationem corporis Christi.

Est igitur munus commune omnium, vt communionem sanctorum colant, & pacem expetant illius: nostrum verò singulare est, vt eandem cõmunionẽ colamus singulari modo, qui singulari vocationis lege à Deo præfinitus est.

202

est. Ad hanc communionem antè ostendimus, primùm formam internam, qua cum Deo coalescimus, pertinere: deinde externam, qua colligimur ad verbum ipsius percipiendum, preces exhibendas, præstandum obsequium, & ordinem honestatemq; in his omnibus rebus procurandam. Nostrum est, vt in his ipsis rebus summa religione ac studio aliis omnibus præeamus sermone, & factis. Quid hîc excusationis vel in speciem adferre possunt, qui aut sermone aut factis non ita procurant ædificationem illius corporis, quod Deus suo sanguine comparauit? Equidem perhorresco totus, nec sine dolore acerbissimo recolere possum cum animo meo, quantam Ecclesiæ labem, quantam sibi ipsis ruinam accersiuerint, qui siue prudentes, siue imprudentes ab hoc officio suo desciuerunt. Faxit Dominus, ne quis porrò desciscat, & se machinationibus Satanæ ab hoc sanctissimo instituto vocationis suæ abripi patiatur. Grauissima sanè vulnera non nobis solùm infligimus, sed ipsi Ecclesiæ Christi, quam curæ nostræ Dominus commendauit; cùm dictis aut factis ab illo fine quem Deus imperat, aberramus, obliuiscentes illius pacis quam in Ecclesia Dei nos constantissimè oportet expetere. Nam cur non expendamus, quandoquidem administri sumus Christi & dispensatores mysteriorum Dei; cur (inquam) non expendamus diligentissimè dicta factaque nostra, quæ

ab aliis diligentissimè nouimus obseruari? Non laboro, vtrum ea sic obseruent alij iure, an iniuria: ex officio, an præter officium. etsi, cùm lux aliis iubemur esse, vt videant; & sal esse vt veritate doctrinæ ab omni corruptione homines vindicentur; non possunt dici ex officio non facere, qui ad nos respiciunt. Omninò ita nos oportet cum animis nostris statuere: si religiosè dicta factaq; nostra ipsi cogitemus circumspiciamusque, id nos ex officio facturos esse: sin minùs, audaciam præfidentiamque inconsideratam nostram fore contra officium nostrum.

Quid ergo, dixerit quispiam, in dictis factisque nostris attendi à nobis necesse est? Exponam paucis. ad Deum, Ecclesiam, mundum, & ad nos ipsos oportet attendamus. Ad Deum, vt semper ab ipso pendeamus, & ad ipsum omnia referamus: ad Ecclesiam, vt ipsi ad Deum ituræ præeamus: ad mundum, vt inculpati extra ipsum fugiamus, & alios nobiscum euocemus: ad nos ipsos denique, vt in his omnibus officiis nos occupemus constantissimè, ad Deum, secundùm Deum, per Ecclesiam, & cum Ecclesia contendentes, & aduersus mundum armis iustitiæ dimicantes ad nostram salutem, & eorum qui nos audiunt. Hîc verò, Deus bone, quàm multis modis peccatur ignorantiâ, imprudentia, & infirmitate nostra! Non libet, neque expedit omnia pertexere, quibus omnes grauiter offendimus. Non libet ea, in quibus communi-

ter

203

ter cum aliis peccamus, colligere. Id satis futurum arbitror, si de iis peccatis dixero, in quæ contra singularem vocationem nostram plus satis (eheu) incidimus, immemores gratiæ Dei, pacis Ecclesiæ, & vocationis nostræ: etsi fit plurimùm, vt huius ipsius vocationis nostræ prætextu & specie peccata nostra contegamus. Tacebo de internis peccatis, quæ videt Deus, & singulorum sentiunt apud se conscientiæ: de externis dicam.

Qui debemus ex vocatione, sanctimoniæ & paci Ecclesiæ dictis & factis consulere, plerumque dictis & factis officimus: tum eas res quæ non sunt vocationis nostræ assumendo, tum eas quæ omninò ex vocatione sunt omittendo, tum contra ius vocationis alia committendo. Ac dictis quidem offendimus, quà priuatim aliqua Ecclesiæ membra, quà publicè corpus ipsius, prout sese res nobis obtulerit. De priuatis offensionibus quid dicam? aut vnde incipiam? Alios offendit leuitas sermonum qui nihil ad nos, alios silentium, alios importunitas. Præsertim si qui doctrina, reprehensione, aut consolatione opus habuerint, incredibile est quàm facilè imprudentia nostra offendantur animæ, quæ priuatum Dei seruorum officium desiderant in suis angustiis & perturbationibus grauissimis. Non solet enim illa cogitatio animos nostros incessere, quã ab exemplo Christi Domini & præceptoris nostri singulis momentis

Mat. 12. nos oportebat recolere; non litigabit, neq. clamitabit, neque audiet quisquam in plateis vocem eius: arundinem quassatam non confringet,& linum fumigans non extinguet:quæ omnia Christus fecit opere, & in ministerio fieri imperat. Nec valde, nec sæpe animos nostros afficiunt illius verba,qui zelo sanctissimo dixit,

2.Cor.11. Quis affligitur,quin ego affligar? Quis offenditur,quin ego vrar?

Quid? quòd in hæc mala, grauiora certè quàm putemus,in conscientias infirmorum & indignissima vocatione nostra, non solùm ruimus apud eos qui in grege nostro sunt; verumetiam,tanquam si domi nihil esset in quo occupemur, agimus ἀλλοτριοεπισκόπως summa licentia,& in rebus alienis sumus oculatissimi? O nos miseros, qui amplissimos fines vocationis nostræ, quibus capiendis nunquam satis idonea aut sufficiens esse potest ingenij nostri tenuitas, dilatari putamus oportere vanitate nostra: neq.

1.Tim.4. in sermone,quem Deus imperat legi; neque in grege, quem Deus imperat pasci, conquiescimus ex officio nostro.

Act.20. 1.Petr.5. Sed leuiora sunt hæc priuata vulnera iis quæ publico sæpe imponuntur,partim fidentia,partimq. imprudentia nostra. Nã siue ad sermones in cõcionibus publicè habitos,siue ad reliquam administrationem oculos conuerteris, incidunt sæpe quàm plurima; quibus, nisi probè ad nos attendamus,nocemus publico,& auctoritatem vocationis

vocationis illius noſtræ, quam Deus contemni facto noſtro noluit, ipſi minuimus. Quàm multa interdum pro concione funduntur, quæ nihil ad nos pertinent aut vocationem noſtram? quæ nihil ad Eccleſiam? aut quæ alienæ cognitioni ſunt credita? Teſtes ſunt Eccleſiæ multæ apud omnes gentes, teſtes magiſtratus, teſtes hiſtoriæ, teſtes libri etiã de iure diuino & humano ſcripti, plurimos eorum, qui finibus Eccleſiaſticæ vocationis ſuæ continere ſeſe debuerant, quà ſe ipſos, quà miniſterium ſuum ſanctiſſimamque auctoritatem illius, quà multas animas, quà reſpublicas, quà Eccleſias funditus perdidiſſe, dum ex anguſtia ſui iudicij (quod putabant ampliſſimum) omnia agi & ferri ſtatuerunt oportere. 2. Tim. 2.

Librum ſacrum, fratres dilectiſſimi, Librum fœderis ſiue Teſtamenti veteris & Noui verſandum habemus nocturna & diurna manu, vt dicebat Satyricus; non libros huius mundi forenſes atque politicos: conſcientias habemus curandas, ac non facultates: Eccleſias, ac non reſpublicas. Putamúſne igitur Deum malè proſpexiſſe mundo, cùm res ciuiles ab Eccleſiaſticis diſpeſceret? putamúſne nobis factam à Deo iniuriam, qui has res nobis, illas aliis curandas inſtituerit? putamúſne ſufficere mentes cognoſcendis & iudicandis, corpora faciendis tam multis rebus, quas Deus diſtribuit in multos propter earum infinitatem grauitatemque, &

que,& infirmitatem noſtram? Nempe hoc illud eſt,miſeret Deum noſtri, & nos ipſos noſtri non miſeret. Videamus potius, obſecro, vt tenuitatem noſtram ſeriò coram Domino deinceps recordemur, grauitatem muneris noſtri ex veritate cogitemus, & nobis ante oculos ponamus magnũ illum Dei ſeruum & Chriſti Apoſtolum,dicentẽ: Fiduciam habemus per Chriſtum (non autem per nos) apud Deum (non autem apud nos) non quòd idonei ſumus per nos ipſos ad cogitandũ quidquam velut ex nobis ipſis:ſed quòd idonei ſumus, id ex Deo eſt, qui etiam facit vt idonei ſimus miniſtri ſanctiſſimi illius fœderis, ex quo viuificamur in Spiritu. Hîc,hîc pes figendus eſt, in miniſterio ad quod vocati ſumus: non eſt cur aliò tranſuolemus,qui in opere noſtro (ſi rectè iudicabimus) longè plus laboris ſenſuri ſumus, quàm vt nobis liceat animi noſtri explendi cauſa in alienas curas irruere. 2.Cor.3.

Neque verò hoc malum vnum eſt in noſtrâ adminiſtratione, quòd alienis rebus plus ſatis attendimus:ſed ex eo alterum malum cõtinuò naſcitur,quòd alienis implicati occupationibus eas plerumque omittimus, quas etiam flagitat inexcuſabilis vocationis noſtræ neceſſitas. ſiqui in Eccleſia ſunt, quos doceri à nobis oporteat; ne per ſomnium quidem nobis in mentem venit noſtri officij: ſi qui redarguendi à veritate doctrinæ abludentes; ſi qui ad probitatem & ſancti-

ſanctimoniã vitæ cohortandi; ſi qui à viis malis & diſtortis ſuis reuocandi; ſi qui verbi diuini conſolationibus, vbi malis proſtrati iacent, erigendi: ſiqui denique vllo modo verbis vitæ æternæ in Chriſto animandi (hîc enim Rhodus, hîc ſaltus) ſiue priuatim, vt lex charitatis iubet; ſiue publicè, vt ratio publica interdum poſtulat; tum verò nos hîc non adſumus, & verè aliud agimus, quos hoc agere oportuit (vt in rebus ſacris olim clamabat præco) & τόδ' ἔρχον ὡς πάρερχον tranſſilimus. Nimirum hic fructus illius πολυπραγμοσύνης, hoc opus illius architectonis aduerſarij ſalutis noſtræ, qui mille-opifex rerum & mille-artifex pro vno cogitato ad vocationem noſtram pertinente infundit mille, ex quo nos ad mille potius alia quàm ad hoc ferri animaduertit ingenij noſtri vanitate.

Atque vtinam in his finibus mali hoc noſtrum malum ſubſideret, ne vlterius abriperemur à vocatione noſtra. Grauiſſimum enim & indigniſſimum omnium ex perdito illo inſtituto id cõſequi ſolet maximo Eccleſiæ damno, quòd ij qui aliena curant & ad ſua ſibi imperata minimè attendunt, eò tandem veniunt dementiæ, vt obliti planè vocationis ſuæ non dubitent ea facere quæ in totum vocationi ipſorum aduerſantur. Quid enim, obſecro, facias, mi homo, qui forenſia cum Eccleſiaſticis, prophana cum ſacris, humana cum diuinis conturbas præſidentiſſimè, niſi vt ineſcatus mellito

veneno

veneno fastidioque huius mundi, exuas rerum sanctarum studium ex prophanarum cõsuetudine? Ita accidet tibi, quod olim prouerbio dicebatur, vt modò togatus, modò palliatus ambules,& vtramque paginam vir ἑτερήμερος corrumpas vocationis tuæ, dum vtramque paginam mundi tibi videris facere. Deus bone, quantum delirium mentes istorum hominum occupat, qui rerum adeò multarum se posse confidunt satagere! Non ita delirabant veteres illi poëtæ in ratione Deorum suorum, quos tamẽ hominibus longè potentiores esse fatebantur. huic cælum, illi æthera, huic inferiorem aërem, illi mare, vni terram, alteri inferos tribuebant procurandos: denique ordinem aliquem videbant in Diis suis cõmentitiis, quem tu, homo, in te ipso videre non potes: ac proinde vbi ordinem non vides, in contraria studia, sententias, actionesque pro re nata, vt pluma in diuersos ventos, quàm facilimè abriperis. Nec verò aliter potest contingere: cùm tibi in rebus non cõstes, omninò necesse est eò delabaris, vt nec sermone, nec actionibus tuis perdiu idem esse possis.

Quemadmodum autem in rebus error est procliuis, vbi tam multiplicem capturam vnica ingenij nostri lineola & vnico iactu nos assecuturos cõfidimus, ita etiam alterum malum huic adnascitur necessariò, quòd iustum modum rerum pèræquè ac res ipsas perdimus. Nam quæ

priua-

priuatim ad salutem animarum curari opus est, ea publicè funditamus; quæ in aurem insusurrari, ea super tecta pronunciamus; quæ sedato animo, ea cum feruore; quæ cum vehementia, ea remisso animo; quæ cum sale, ea insulsè; quæ cum auctoritate, ea ineptè ad Scribarũ & Pharisæorum exemplum prædicantur. Nempe auctoritatem nostram, nõ Christi quærimus plerique, & opinione freti auctoritatis nostræ vtramque perdimus miseri. Et miramur, rebus ita stantibus, si verbum Dei parum fructus edit in Ecclesiis Christianis hoc nostro tempore? cùm tam parum in iis, per quos efferri ipsum oportet, plerumque radicetur; & radicatum adeò multis spinis & sentibus præfocetur, quas nos ipsi plerumque facto nostro imprudentiaque in aruo Domini conserimus?

Equidem non possum quin vehementissimè cõmouear, quoties hæc mala apud me reputo: neque mihi voluptatis quidquam esse potest in iis perscribendis, quorum perhorresco cogitatione; & quæ si qui indignè ferant à me consignari scriptis; peto ex animo, vt ferant indigniùs ea fieri ab aliis quæ à nobis perscribuntur. Deum oro, det nobis omnibus iustum argumentum tollendi è medio has querimonias, & mihi ipsi delendi scripturam meam. Sed quid agam? taceámne in tanta perturbatione publica, tantoque incendio, quod plerisque custodibus dormientibus, aliud agentibus,

aut

aut variè in ſtudia abreptis Satanas excitauit? certè incendium eſt in orbe Chriſtiano, niſi Deus è cælo proſpexerit, omnia cõſumpturum: animi humani foci ſunt, in quibus peccatum flagrat; linguæ hæ folles ſunt, illæ fomites, quibus incendium magis ac magis inardeſcit; linguis ſuccedunt Chartarum virulentiſſimarum plauſtra, quibus tamquam malleolis, perrumpit incendium in omnes partes, quæcumque lingua perflari non poſſunt: denique bona pars Chriſtiani orbis hoc tempore buſtum potius videtur eſſe peruadente & furente incendio, quàm Chriſtiani gregis domicilium. An ergo hi paſtores? hæ oues Chriſti? quas in ſuo miſerabili buſto miſerè video contabeſcere? Sunt certè paſtores adhuc, ſunt oues Chriſti, & Chriſti ſunt: ſed multi in hoc tetro & lethali incendio nec ſe Chriſti eſſe, nec oues eſſe, nec eſſe paſtores meminerunt: vſqueadeò Chriſtus ſalutariſque gratia illius grauitate iſtius incendij, & ſtudiorum noſtrorum in publico hoc malo vanitate, animorumque tenebris, & mundi flagrantis fumo obſcurantur. Quin igitur dicam, quod ille Elihu apud Iobum? plenus ſum ſermonibus, coarctat me ſpiritus ventris mei: ecce venter meus vt vinum cui non aperitur; ſicut noui vtres, findetetur: eloquar, vt reſpiratio ſit mihi: aperiens labia mea enunciabo. ne, quæſo, accipiam perſonam vllius, & apud quemquam non vtar præfatione. non enim noui præfatio-

Iob 32.

nibus

nibus vti: paululum si dissimularem, tolleret me qui fecit me. Ac multos quidem viros bonos, Dei & Ecclesiæ amantissimos, scio eadem verba mecum reputare sanctissimo religiosissimoque studio; cùm ad mala tam multa respiciunt, quæ hoc nostro seculo in Christiano orbe grassantur licentiosissimè. Sed quia illi tacent coram hominibus, effundentes suos gemitus apud Dominum solum cognitorem omnium; spero me illis rem gratam facturum, si communes ipsis ac mihi dolores hoc scripto expressero, & Christianos omnes tandem tandem testes appellauero tum doloris acerbissimi illius nostri, tum etiã officij, quod testatum facimus & spondemus in Domino, si fortè ad restinguendum incendiũ commoda Christianitati per voluntatem Dei opera nostra futura est.

Quid ergo agimus, ô fratres & peculiũ Christi? quid, grex Christi? quid, pastores gregis? quousque tandem in Christum, in membra ipsius, nostraque ipsorum viscera iniiciemus violentas manus? alij alios conteremus? dentibus, vnguibus lacerabimus? pedibus proculcabimus? & sæuiemus omni conatu nostro, vt immanes feræ? quousque linguæ gladij acuti futuri sunt? quousque veloces pedes ad effundendum sanguinem procurrentes? quousque manus ad horrendam lanienam & carnificinam adiicientur? Sunt enim quorum linguæ priuatim ac publicè nihil nisi tubæ sunt ad canen-

dum bellicũ paratiſſimæ; inflammantes rotam genituræ noſtræ, & inflãmatæ à gehenna. Sunt quorum manus calamo & atramento armata perfundit Chriſtianum orbem telis planè lethalibus; quibus non corpora, ſed corda hominum ad mortem ſibi & aliis conſciſcendam furiosè adducuntur. Sunt quorum pedes ad excurſiones & panegyres expeditiſſimi miniſtrant diabolicis furiis in Chriſtianum gregem irruentibus, ſceleratiſſimè. Hæc tela iam in omnes partes Chriſtiani orbis volitant adeò confertim, vt quemadmodum nimbo vehementiſſimo lux cæli, ita lux ſpiritualis denſo telorum iſtorum numero multis Chriſtianis mentibus minimè malis adimatur. An ergo tantum eſt in ſcribendo voluptatis, vt propter eam Chriſti, Eccleſiæ, & animarum tam multarum expungatur ratio? an voluptatem illam noſtram quam in ſcribendo capimus, tanti audemus emere? Quin potiùs cogitamus quod olim dicebat ille Satyricus, teneri multos ſcribendi cacoëthe inſanabili? Scripta non ex morbo animi, ſed ex iudicio certo exaranda atque edenda ſunt. Alioquin taceri præſtat: cùm doceat Salomon etiam ſtultum, quando tacet, videri ſapientem. Quòd ſi certo iudicio fiant, profectò ad veritatem, & pacem, charitatemque ſpectare oportet omnia.

*Prou. 17.

Ac morbo quidem animi potiùs quàm iudicio ſcripta quàm plurima hoc tempore in vulgus

gus dissipari, multis argumentis probari potest. Verumtamen, ne lõgiores simus, paucula quædam adferemus, ex quibus plurimorum scriptorum, quæ hoc tempore circumuolitant in manus omnium, conditionem ostendemus: vt singuli videant, quàm impune grassetur hoc malum maximo Ecclesiæ malo. De iis autem, perinde ac de actionibus internis & externis hominum, non ex genere materiaque (agimus enim de scriptis solùm ad res sacras pertinentibus) sed ex specie, ac circumstantiis, & fine ipsorum fieri iudicium necesse est. Primùm enim scripta eduntur, ac potiùs vomuntur quàm plurima ab ingeniis perturbatissimis; quæ pietati, veritati, charitati, & paci publicæ reipsa aduersantur, & quæ in æternum præstaret supprimi quàm prodire in vulgi manus: adeò à bono principio absunt, & obiecto bono, quæ speciem factorum cõstituunt bonam. Deinde vt demus scripta multa existere, quæ non ita aduersentur his bonis quæ modò diximus, sed ipsa (vt cum vulgo loquar) in substantia bona sint, tamen huic bonæ substantiæ multum veneni sæpe infunditur, cùm loco doctrinæ & dogmatum (vt vocant) veritatis iustæ circumstantiæ negliguntur, & res personales iniiciuntur, criminationes, conuicia, contumeliæ, quàmplurima denique acerbissima iudicia: quæ licet essent verissima, non iubet veritas dici, sed iubet reticeri charitas. Nam quid hoc ad veritatẽ propugnandam,

aut mendacium expugnandum facit, si fortè hominem suis coloribus (vt mihi quidem videtur) depinxero? neque enim veritatem suam per homines Deus ita probari voluit, vt ex bono aut prauo huius, illius, aut cuiusquam hominis instituto vitæ, de veritate diuina iudicent. Transcendit veritas omnem hominum captum: neque per homines illa iudicatur, sed homines per illam. Quapropter non dicebat Christus, ex fructibus hominum, aut ex hominibus cognoscetis veritatem; sed ex fructibus eorum cognoscetis eos. Et optimè inquit Apostolus: Quid si infidi fuerunt quidam? Num
Rom. 3. ipsorum infidelitas fidem Dei inanem reddet? absit. imò esto Deus verax, omnis autem homo mendax: sicut scriptum est; vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas quando tu iudicas. Postremò si ad finem, quem sibi in scriptis proponunt multi, aut ad euentum etiam respicimus, omninò cõperturi sumus, aut finem multorum qui scribunt iniquum esse, aut si quidem minimè malus est, plurimum à fine discrepare scriptionis modum: ipsum denique euentum ab vtroque abesse quàm longissimè. Cur autem? nisi quia in scribendo nec finis, nec modus seruatur plurimùm: & res tacendæ diuulgantur in publicum; & incompetentes iudices in rebus etiam grauissimis malitiâ hominum appellantur, competentes verò multitudine oppressi in tanta rerum conturbatione silent.

Certè

Certè hæc mala, quæ modò à me adducta sunt, si quis accuratè sine perturbatione animi expenderit; mirabitur mecum summam illam Dei misericordiam, qui corpus illud lacerum Christianitatis, & in suam ipsius salutem coniuratum hactenus adeò gratiosè à meritissima ruina & peste conseruauerit. Nam vt nihil de fine & modo scriptionum dicam, quia iam antè perstrinximus, quotusquisque est qui à rebus fundendis abstineat, quas taceri præstitisset? si ad dogmata respexeris, hîc multa incommodè, multa impropriè, multa falsò deblaterantur ab his & ab illis, quæ vbi semel euolauerint, neque ex scriptis reuocari possunt, neque ex animis scribentium; qui se cupiunt victores esse, ac non victricem veritatem: neque ipsis in mentem venit sanctissimi illius dicti, quo Paulus vtebatur, nihil posse nos contra veritatem, sed pro veritate. sin ad actiones hominum, quæ perscribuntur, animum & cogitationem conuerteris, de quibus dicimus eo liberiùs, quo magis studiis in hanc aut illam partem impellimur; quis nescit multa etiam benefacta nō nisi tempestiuè enunciari oportere? malefacta verò nunquam, nisi ex necessitate? Atque hic ille campus est, in quo plerique delicias agunt hoc ipso tempore; quo ad charitatem non solùm auctoritate diuini verbi, sed etiam grauitate iudiciorum eius, euentorumque lamentabilium, quæ (proh dolor) videmus quamplurima, nos

2. Cor. 13.

omnes vno animo necesse habemus cõtendere.

Deinde quàm graue est illud, obsecro, quòd in istis omnibus scriptionum generibus iudices non competentes, non scientes, non æqui, appellantur? Quem enim, amabo te, mihi appellas iudicem, siue de dogmatis aut rebus eò pertinentibus, siue de vita hominum instituas dicere? Nónne appellas plebẽ? cui nec donum, nec vocationem impertiuit Deus, vt de rebus istis cognoscat, nedũ ipsa iudicium faciat. An ignoramus inscientiam plebis aut populi, quem scriptis prouocamus? an ignoramus studia & partes in quas post omnem hominũ memoriam plebs quàm facillimè & leuissimè per eiusmodi flabella scissa est ausu temerario? Quin illud fermè in more est populo, si iudicium ad ipsum deferas de rebus grauissimis, vt statim ferat sententiam: siue ex opinione sui, quæ perpetua est ignorantiæ comes; siue ex studiis, quibus inconsulta plebs plurimum traducitur. Hi scilicet quorum non interest de multis cognoscere, qui nec donum habent vt rectè iudicent, nec vocationem vt vel cognoscant, hi (inquam) competentes iudices futuri sunt.

Quid verò, quòd hoc ipso facto, dum plebem appellas & cõmoues, viris bonis prudentibusque os planè obstruis? qui operam dant ne aduerso flumini, quo fertur populus, obniti videantur. Nam cur tibi homini tribunitio, & clamoribus fora ac compita implenti, funemq.

longum

longum trahenti imperitæ plebis, obloquantur boni intempestiua obmurmuratione? Tu in tuo foro tibi videris dicere: illi in iusto cupiunt. Quid ergo? dixerit fortasse quispiam: túne populum iudicem iniustum dixeris? minimè gentium. nam ne iudicem quidem esse dico: alioquin cuius erit iudex, nisi aut sui ipsius, aut eorum quos habet iudices? vtrumque verò absurdum est. Quòd si quis in populo iudicium assumit sibi in plerisque rebus quæ traduntur scripto hac licentia temporum; is qua fide, quo iure faciat, viderit; cùm omnes alios anteuertit imprudentia sua; nec Deo ipsi, nec iudicibus vocatis à Deo concedit locum. Nam in rebus dogmaticis, & quæ cum fide coniunctæ sunt, cur potius aliquem de stiuâ iudicem audies, quàm eum qui rebus sacris diligenter secundùm Deum operam dederit? Cur potiùs tumultuarium plebis cõuentum, aut concursum, ac sibilum anhelantis audies, quàm iustũ concilium ex iis hominibus constitutũ, quos Deus instruxerit donis & vocatione ad piam & sanctam rerum quæ cõtrouertuntur definitionem? quòd si crimina sunt, conuicia, contumeliæ, aut vitæ malè gestæ exprobrationes: primùm Deo iniuriam facis, qui ordinẽ humanum instituit, de rebus malè gestis in vita humana cognoturum: Deinde illis ad quos rei cognitio pertinet, iniuriam facis, quam iniuriam, vt illi dissimulent, nõ tamen dissimulabit Deus: præterea po-

pulo iniuriam facis, quem imprudentem excitas; vt conuolet in ius publicum auctoritatemq. magistratus: Denique illi ipsi quem proscindis scripto, iniquus es. Si enim te offendit, habes mandatum Christi, vt arguas inter te & ipsum: Si alium, quis te procuratorem instituit, & gestorem rei alienæ? sin autem non offendit te, cur offendis? sin vtrumque, cur ita agis, vt palàm testatum facias te non salutem, sed perniciem; non honorem, sed ignominiam, id est, non ex charitate, sed ex perturbatione animi à charitate alieniſſima euersionem illius expetere? Intereà verò, vt de tertio capite adiiciam paucula, quis ferat dum populus ita appellatur, silere bonos, qui iusta scientia, imperturbato animo, donisque conuenientibus instructi, aut iudices à Deo sunt istarum rerum instituti, aut à te adhiberi possunt. Hæc illa est Christiana ratio, ad quam nos omnes oportet remis velisque (quod aiunt) contendere, non autem ordinem diuinum & humanum eadem opera conturbare. Aut ordinaria insistenda via, aut extra ordinem arbitraria deligenda; nõ pro imperio præscribenda à contendentibus: quod est iniquissimum.

Atque hanc quidem ἀταξίαν eo indigniorem esse apud omnes constat, quo scripta reuera longiùs à pietate, veritate, & charitate absunt. Sed tamen ne eos quidem ipsos qui tuentur veritatem, peccare velim fiducia causæ suæ, &

sic

211

sic eam agere, vt in eadem peccata imprudenter ruant quæ in aliis reprehendunt. Multa enim interdum ad defensionem veritatis humanitus possunt nobis excidere, quæ præstaret inhiberi. Sæpe fit, vt res præter veritatem, præter necessitatem, præter charitatem, præter officium ab iis effundantur qui propugnant veritatem. Ignoscat nobis gratiosè Dominus, qui in multis offendimus omnes: sed tamen certissimum illud est, fieri non rarò vt plus noceatur veritati, cùm ista vitia in causa eius à nobis adsperguntur, quàm accedat adiumenti: nõ quòd res ipsa interdum tanti sit momenti, sed quia tanti est quanti legentes esse voluerint: qui rem leuiculam, si fortè perturbato animo iudicauerint, in grauissimam transformabunt. Quapropter omnes veritatis diuinæ sacerdotes, atque administros Christianæ pacis oro & obtestor per sanctissimum nomen Iesu Christi, cui seruimus, vt tum ipsi de se & suis sermonibus scriptisque cogitent quàm diligentissimè, ne fortè cum veritate, aut charitate, vel in speciem pugnent; tum verò vt in vtriusque modo, sermonum inquam & scriptorum, cancellos sibi circumdent quàm prudentissimè, extra quos non patiantur se vel latum pedem abripi, quamuis clamantibus & prouocantibus multis. Nam seruos Dei armatos esse conuenit inuicta illa patientia, de qua dicebat apud Salomonem Deus; Melior est longanimis robusto, & qui

Iacob. 3.

Prou. 16.

dominatur in animum suum eo qui capit ciuitatem.

Quid ergo? an non propugnabitur veritas à seruis suis? certè, propugnari oportet, ac non deseri veritatem: sed propugnari volo commodè; non autem imprudenter & sine fructu quasi lacinias veritatis discerpi importunitate hominum, qui veritati seruiunt: propugnari eam à seruis volo, quà loquendo, quà tacendo, & manum Domini (qui Deus veritatis est) expectando. Itaque cùm veritas ipsa commodè velit dici; cuius commoditatis ratio eiusmodi est, vt ex natura ipsa ac fine veritatis, & modo dicendi scribendique, & personis & circumstantiis temporis ac loci, maximè obseruanda sit: ea omnia si obseruemus, bene est; si non, in difficultates aut ipsi incidimus, aut alios iniicimus.

Ac primùm quidem veritatem pro commoditate naturæ ipsius dici existimo, cùm dicitur id quod est; & id quod non est, negatur fide & simplicitate summa, quam suis Dominus Deus veritatis semper imperavit: quemadmodum ostendit Apostolus dicens, Deposito mendacio
Ephes 4. loquimini veritatem quisq. proximo suo: Nam sumus alij aliorum membra. Enimuerò labium
Prou. 12. veritatis stabilitur in æternum: at donec momentum transigam, lingua falsa. Finem verò huius veritatis charitatem esse tota scriptura testis est. Nam ex charitate docuit nos veritatem hanc Deus: quæ charitas effusa in cordibus

nostri

212

nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis, veritatem nos iubet eloqui, quoad eius fieri in charitate potest & expedit. contra charitatem eloqui veritatem, impium est: præter charitatem, otiosum: neutrũ verò approbat Dominus.

Hæc autem ipsa non rarò contingit, vt in mente eius qui dicturus aut perscripturus est, rectè informentur, & tamen peccatum accidat in dicendi aut scribendi modo: præsertim cùm perturbationibus animi aut res obscurantur quodammodo, aut verba obiiciuntur dicenti & scribenti incommoda; nisi accuratè & cum delectu iudicioque maximo dicturus circumspexerit, quæ res ad argumentum, quæ verba ad res, qui modus & ratio ad vtrumque sit adhibendus, vt optata sequatur ex iis ædificatio. Nam verba sapientum non solùm recto & veritati opus est conuenire, sed similia esse aculeis, similia clauis infixis, lectissima, vt ab eodem pastore tradita (vt Ecclesiastes docet) nimirum Domino. *Eccles. 12.*

Adhæc in personis obseruanda multa, citra quæ plurimum offensionis dicentes scribentesque possunt incurrere. Nam & ij ad quos scribitur, & de quibus scribitur, & in quos scribitur, nonnunquam facto nostro ipsorum offendũtur: & (quod grauius est) offensiones illæ quas saltem inter paucos latêre oportuisset, eò deueniunt vt omnibus fermè offensioni sint. Quòd si diligenter ad illud dictum Petri in his

rebus

rebus attenderemus; Ante omnia charitatem alij in alios intensam habete: nam charitas operiet multitudinem peccatorum: item Augustini illud prudentissimum, Vbi natum est peccatum, ibi moriatur peccatum; neque diffundendis aliorum in fide erroribus, neque diuulgandis peccatis ita operam daturi essemus, vt plurimùm datur memoriâ nostrâ.

Atque huc maximè pertinet ratio illa circumstantiarum, quam antè diximus: in quibus principes circumstantiæ sunt temporis, & loci, si à modo quem antè attigimus (quæ summa est actionú circumstantia, etiam non rarò dans speciem actionibus nostris) discesseris. Nam quorsum intempestiua scripta? quorum gratia omnis eo ipso tempore quo eduntur excidit, & quorú fructus aut damnosus, aut nullus. quemadmodum enim nec acerborum fructuum, nec vetustate putrescentiú est voluptas neque vtilitas, qui tempestiuè percepti futuri sunt grati & vtiles; sic etiam intempestiuarum scriptionum solet se habere ratio.

Nec minus iudicij necesse est adhiberi ad locorum discrimen explorandum: fit enim, vt qui sermo aut quæ scriptura vno in loco prodest, eadem obsit in altero. Sermones & scripta pro ratione locorú ad quæ transmittuntur, vt venti regionibus, ita animis salubria sunt, aut insalubria. Ac propterea iniuriã faciunt, qui aut suo iudicio, aut suorum temporũ locorúmue modulo

dulo omnia tempora & loca putant æstimanda. Vna quidem est in se veritas, sed quæ sese contemperat generis humani bono, sine sui ipsius detrimento.

Atque hæc omnia, & alia consimilia quæ adferri possunt, profectò eiusmodi sunt, vt quisquis veritatis administer in charitate est, cogitaturus sit de eis diligentissimè, cùm aut sermonem dicturus, aut scriptum transmissurus est. Medicos omnes peritos & valetudinis humanæ studiosos videmus non solùm de eo laborare, vt veritatem materiarum simplicium, compositarumque & totius artis suæ teneant, (quod theoricorum est) verùm etiam quod practicorum est (vt vocant) ad constitutionem subiecti, id est, corporis humani tum communem, tum singularem attendere; eáque probè exploratâ res secundùm artem iustas, secundùm verò corporis constitutionem modificatas curationis causa admouere. Nos autem qui ad veritatis diuinæ supernaturalisque dispensationem vocati sumus, & ad gregem Christi ouesque singulas illius, prout Dominus nobis fuerit admensus, procurandas; an ita desipiemus, vt prudentiam rerum istarum medicis relinquamus, & inconsideratè loquamur, scribamus, aut ambulemus in domo Domini? Fugiamus procul, ô fratres charissimi, insaniam istam, cùm nobis ipsis, tum aliis damnosissimam: & potiùs à scribenda litera vnica totum

vitæ

vitæ huius curriculũ abstineamus, quàm vt animã vllam, vel minimã & infirmissimã, percellamus aut labefactemus officio inofficioso nostro.

Si igitur, quid nónne veritas propugnanda est? dixerit quispiam. Est quidem ea propugnanda, vbi oppugnatur: sed tempus est iustum propugnationis, & tempus cessationis æquè in publico atque in priuato labore nostro à Domino constitutum: quemadmodum in præliis tempus est petendi hostis depellendique, & tempus spectandi atque contemnendi, quum solido impingit demens. Tyro consumit operam inaniter, veteranus prudens non nisi vtiliter. Nam, certè si qui naturam veritatis ex doctrina Dei didicerunt, eamque ex officio charitatis ad propinquorum ædificationem cupiunt exponere, vult Deus ad cõuenientẽ modũ, ad personas, & ad circumstantias ita ab illis & nobis respici, vt seruiamus paci, & omnem motũ cõtrariũ paci sanctissima prudentia semper declinemus. Quapropter in priuatis institutionibus, redargutionibus, hortamẽtis, reprehẽsionibus, cõsolationibus, & si qua sunt præterea huiusmodi, quid quomodo secũdùm rationem personarum & circumstantiarũ fieri oporteat, diligentissimè præscripsit Deus. Nam veritatem non solùm expressit secundùm naturam ipsius; verumetiam exprimendæ illius inter nos modum ex charitate circumscripsit, à piis singulis obseruandum, vt sale & gratia conditus sit ser-

mo

mo & ſcriptura noſtra. perſonarum quoque re- Coloſ. 4.
ſpectum haberi docuit oportere, vt peccantes moneantur, ac non traducantur: moneantur autem ordine charitatis, non inordinata illa imprudentia increpentur, quam cuique dictare ſolet offenſi animi perturbatio: moneantur toties, dum ſpes emendationis eſt; & moneantur locis, ex quibus cognoſcant honori ſuo & ſaluti conſuli; deniq. ſi repetitis monitis non acquieuerint, ſinantur aliquantiſper, donec ſubſederit illa perturbatio animi quæ ipſos tranſuerſos rapit; aut ſi nunquã reſipiſcant, ſinantur planè, ne diſcamus cũ claudis claudicare, & contentioſi cum hominibus contentioſis & pertinacibus rixando efficiamur. Quid obſtat, amabo vos, quo minus eundem ordinẽ in publicis noſtris ſermonibus & ſcriptis obſeruemus? Nam hunc ordinem etiam in cauſis publicis nos docuit veritas; & eundem quoque præcipit omnino charitas; cumque natura charitatis ea ſit, vt ad commodum reſpiciat eorum quibuſcum agimus, certè & natura eorum poſtulat vt agamus ex charitatis lege. Cogitemus ergo, fratres dilectiſſimi, quotquot ſumus qui nomen Chriſto dedimus, qua religione, qua fide prudentiaque in his actionibus publicis verſari nos omnes oporteat, qui in priuatis tenemus magis earum modum: & deinceps demus ex animo operam, vt veritatem in charitate, & charitatem in pace ad ſalutem ædificationemque communẽ procuremus.

curemus. recordemur eorum quæ antè de capite illo noſtro, typo fidei & cõuerſationis noſtræ & confeſſionis Apoſtolo, Domino Ieſu Chriſto
Mat. 12. dicebamus: nõ litigabit, neq. vociferabitur, &c.
Tit. 3. Reſpiciamus ad Pauli monitum; qui hominem etiam hæreticum vult à nobis demum vitari poſt vnam & alteram admonitionem, quum nouimus eum euerſum eſſe, & ita peccare, vt ſuopte iudicio ſit condemnatus. Meminerimus denique amuleto certiſſimo nos inſtrui ab illo
1. Cor. 11. dicente, Quòd ſi quis volet contentioſus eſſe, non eſt hic mos noſter, neq. Eccleſiarum Dei.

Neque verò propterea à confingendus eſt nobis inanis metus, deſertum hoc pacto iri veritatem; ac proinde nos diuina, & aliena, & noſtra cauſa teneri ſcripta accumulare ſcriptis, & ſingulis vel oblatrantibus canibus reſponſare. Nam hoc dictum profectò multorum eſt μορμολυκεῖον, qui ſuis ſiue perturbationibus, ſiue præpoſteris iudiciis exiſtimant oportere vt alij dextra ſua cadant. Longè aliter nos Chriſtus, aliter Prophetæ, aliter Apoſtoli, aliter denique ſancti & prudentes viri inde ab orbe condito docuerunt exemplo & ſermone ſuo.

Veritatem deſeri, Deus bone? magnum crimen, ſi quidem hîc crimen eſt. Sed iam crimen eſſe deſinit, ex quo ſemel aut bis veritatem ſcripto profeſſus es, ac cultu publico ſemper doctrinaque communi in Eccleſia teſtatus palàm. In hanc veritatem velut cippum firmiſſimum

à Deo

à Deo plantatum instrumento manus tuæ, licet vel millies aduersariis impingere, te stante & ἀφιλονείκως quiescente. Antecedente facto qui instituit veritatem & præsente mõstrat, is nullo iure posteà dicendus est eam destituisse, si ad singulorũ clamores & vociferationes sese non obiecerit. Præposterum hoc iudicium est, de quo sibi maximopere Satanas gratulatur. nouit enim artifex, dum ad clamores & contentiones aures aduertimus, prætermitti à nobis veram ædificationem quæ est in Christo. Adeò veteratoriè hic antiquus draco imprudentiæ nostræ nouit illudere.

Quòd si quis dixerit, etsi non veritatis causa, quæ rupes immota est, tamen aliorum causa quos vocat veritas, responderi nonnunquam oportere; Equidẽ non negauero eiusmodi personas, causas, tempora, loca occurrere, quæ responsionis necessitatem afferant: sed extra hanc necessitatem qui respondet, cõtentiosus est, aut vt efficiatur contentiosus, itidẽ metus est. Nam vt breuiter de personis dicam, quorum causa iudicas respondendum? aliena, an tua? si aliena, vtrum illius cui responsandum putas, an verò eorum qui auditores & spectatores futuri sunt? Si illius causa, cum ipso agendum est, non cum publico. Si aliorum causa, aut eorum qui nihil de re audiuerint, aut qui de re aliquid perceperint. Qui nihil audiuerunt, eos cur commoues? Qui audiuerunt, certè eorum causa oportet in-

ſtitui conſilium iſtud, qui firmi in veritate ſunt, aut qui infirmi ſunt, aut qui in mendacium traducti ſunt. Firmorum cauſa non putem: quid opus eſt? Infirmorum cauſa plus habet ſpeciei: ſed tamen poſtquam ex veritate ſemel, aut bis fuerit diſſentientibus ſatisfactū; equidem magis metuero, vt infirmentur contentione infirmi, quàm ſperauero fore, vt perſcriptione noua confirmentur. Et (quod grauius eſt) multiplex de eodem ſcriptio hoc habet incommodi, quòd plerumque ſiluam offenſionis infirmis atque imperitis, calumniæ verò aduerſariis ſubminiſtrat: quia (vt ait Sapiens) multitudine verborum non ceſſat defectio. Quòd ſi eorū cauſam adduxeris qui iam malo errore implicantur, ſtudium laudo, ſed effectum non video. contrà enim plurimùm vſuuenit, vt ea ipſa mala quæ modò oſtendimus, miſeros confirment in malo, quemadmodum iniecta aqua fabriles carbones ſolent inardeſcere. Hoc quotidiana docet experientia; & inſignibus duobus exemplis, nimirū ſuo & alterius cuiuſdam Epiſcopi, Auguſtinus optimè demonſtrauit, qui ex Manichæorum erroribus nō vllo humano facto, ſed ſingulari Dei teſtimonio, tanquam ex peſtilentiſſima fœtorum ſentina erepti ſunt. Omnino præſtat in hoc genere mali antecedētia ſcripta & documenta cōmodè & quaſi aliud agendo, errantibus ſubiicere, ad teſtandā conſtantiā noſtram in doctrina veritatis, quū noua multa procudere.

Prou.10.

Lib.3.Cō-feſſ.ca.vl-timo.

Reſtat

Restat vt dicat is qui scripturus est, sua causa se scriptum publico daturum esse: nempe vt ea aut defendat, aut explicet quæ antè scripserit, aut criminationes obiectas diluat. Atqui iam eo peccatum est, si quis sua causa scriptiones eiusmodi immittat publico. Quorsum enim in meis rebus cognoscendis homines occupem? si veritatem quis scripsit & docuit, non sua, sed veritatis causa idem scripturus atque docturus est. Hoc autem officium ab illo amplius non exigit veritas, vt antè ostendimus, cùm vno aut altero scripto fecit satis. Quòd si personarum causa veritatem mentis nostræ opus est explicari (nam aliud est veritatis in sese testimonium edere, aliud eius rei quam sentimus cũ animis nostris) aut breui additamento, non scriptorum centonibus præstari hoc potest, aut (quod est certissimũ) vni & alteri eorum qui rem in dubium vocant, testatam certis literis facere mentem nostram. Alioqui in causa fidei, quid est cur tantopere, si quid singulare credimus, aliis obtrudamus? quid, cur laboremus vt sentiant alij nos hoc aut illud credere, & esse persuasissimos? modò ne ab expressa forma sanorum verborum (vt Paulus vocat) absistamus, meritò omnia susque deq. ferre possumus, quæ ab aliis de mente nostra cogitantur, & ipsi nobis (si ita placet) canere sine motu publico. 2. Tim. 1.

Iam verò conuicia sint, iniuriæ, criminationes, quibus appetimur palàm, cur non potiùs

1. Cor. 6. ferimus, vt Corinthios monet Apostolus; quàm vt eiulationibus & querimoniis eorum aures oppleamus quorum non interest? Aristotelem illum Philosophum celeberrimum narrant historici, cùm à quodam inimico absens grauiter traductus esset, cuidám ad ipsum referenti & exstimulanti respondisse: Etiam licet absentem verberet. Et nos Christianos vsque adeò molles & fastidiosos esse, vt res eiusmodi nõ possimus contemnere, & quasi pedibus terere? Deinde, an nescimus quod olim prudenter monebat Tacitus, conuicia, si irascare, agnita videri: spreta exolescere? Quòd si id ab vnoquoque natura exigit, & dictat ratio, quo iure nos serui Christi, qui Spiritu Christi viuimus in corpore Christi, qui armis iustitiæ dextrorsum & sinistrorsum per honorẽ & ignominiam pro Domino nostro debemus contendere, qui etiam beati dicimur hoc ipso fidei & patientiæ testimonio, desinemus à sequendo Chtisto, & salute nostra ipsorum, alienáque propugnanda, vt de rebus studiisque nostris singularibus cõcertemus, atque inuicem cõsumamus? cur potius non cogitamus, si hic aut ille nos petunt conuiciis, esse nobis contrà locupletissimum Dei, & animi nostri, & bonorum, apud quos viuimus, testimonium, quo freti acquiescamus, & abstineamus ab ista inani solicitudine? quæ si nos torquet, ipsi cum aliis perdimur; si non torquet, perduntur tela contradicentium. Taceo quod

Lib. 4. Annal.

antè

antè expoſui, iniquè facere eos qui conuicia ſcriptis paſſim diſſeminant: ac proinde etiam iniquitatem eandem ab iis confirmari, qui coram iiſdem teſtibus iudicibuſque conſtituunt reſpondendum eſſe, & quaſi in foro incompetente (vt vocant) obeunt vadimonium. Si enim purgari me exempli cauſa ab alicuius hominis contumelia, non dico meâ (prius ima dehiſcat terra mihi) ſed aliena & veritatis ipſius cauſa neceſſe eſt: equidem malim apud eos me legitimè purgare, qui legitimè poſſunt cognoſcere, quàm miſeram plebem eo nomine commouere, quæ nec cognitionis inſtituendæ capax eſt, nec iudicij faciendi ſine cognitione legitima, nec ſeſe denique ex miſeris illis & horrendis factionibus, quæ hoc modo exoriri ſolent, poteſt commodè extricare. Prius igitur eſt, vt contemnamus conuicia: poſterius, ſi animum noſtrum vincere ipſi non poſſumus, aut res poſtulauerit, vt conuiciatores legitima cognitione conuincamus, docendo iuſtitiam noſtram, non iniuriam illorum perſequendo. Væ nobis, qui primas eruditionis ambimus, fugimus ſilentij: in quo tamen etiam Chriſtus, qui veritas eſt, bonam confeſſionẽ coram Pilato confeſſus eſt. Qui non reſponſat, conuiciatorem confundit planè; qui autem conuincit, hanc exiſtimationem ſæpe conciliat ſibi, vt ex impatientia & animi perturbatione aduerſarium perſequi iudicetur. id autem, ſeu verè, ſeu falsò iudicetur,

fructum ministerij impedit vehementissimè, totum non rarò intercipit: Et satis magnas pœnas tum hoc ipso tempore apud bonos, tum futuro in posteritatem conuiciatores reportaturi sunt, nobis tacentibus, & causam nostram committentibus Domino, cui seruimus. De causis verò quibus ad respondendum sæpe adducimur, locus eadé operâ explicatus est, cùm de personis diximus. Nam aut ad Deum & veritatem illius, aut ad nos, aut ad alios spectant. Quapropter iudicium idem fieri de iis necesse est. Præsertim verò seruos Dei per Christum oro, id semper cogitent, non persequendis iniuriis, sed ferendis probari ministerium suum. Cuius probationes optimè demonstrauit Pau-
2. Cor. 6. lus dicens, Nullam in re vlla præbentes offensionem, ne vituperetur ministerium: sed in omnibus nos approbantes vt Dei ministros, tolerantia multa in afflictionibus, in necessitatibus, in angustiis, in verberibus, in carceribus, in exagitationibus, &c. quæ ille fidelissimus imitator Christi nos voluit atq, mandauit imitari. Tempore & loco responderi quoq. interdum oportere antè agnouimus: sed incredibile est quantum fallamur iudiciis, cùm de iis circumstantiis videndũ est. Det singulis prudentiam charitatemque Dominus. Et certè, cùm rationem Ecclesiæ Dei, prout nunc se habet, cogito; corpus ita miserè affectum est, vt in plerisque illius malis nihil magis periculosum iudicem, quàm imma-

immaturam medicinam. Et tamen hoc vnum à pleriſque videtur agi, vt quemadmodum apud Scythas olim & Babylonios per compita ægrotis conſulebatur, tot ſint Eccleſiæ medici, quot viatores ad ſalutandam ipſam quamprimùm acceſſuri. ita plerumque euenit; vt quod dies curatura eſſet, vel potiùs Dei gratia ſucceſſu temporis; id hodie, Deo irato, ad ſolum aſpectum velimus curatum eſſe, vel ad crepitum digitorum noſtrorum: & quod quietè poſſet conſaneſcere, id commotione intempeſtiua conturbemus; tanquam prauis humoribus in corpore Eccleſiæ irritatis, quos die & quiete commoda Spiritus Chriſti curaturus eſt ſolus. Atque hæc quidem mala cùm in hunc locum adfero, nemini ſpeciatim maledictum volo. Nam Deus teſtis eſt me de ſingularis cuiuſquam hominis, quem quidē nouerim hoc tēpore, notando facto minimè cogitare: ſed licebit mihi per bonos (ſpero) deflere publica Eccleſiæ mala, noſtras omniú cōmunes culpas, & meas quoque ipſius: qui nos omnes & ſingulos tam multis intempeſtiuis & importunis diſſidiis iuſtiſſimo Dei iudicio acerbiſſimoq. agnoſco flagellari. Quapropter deprecor iram flagellaq. Dei communi cauſa Eccleſiæ, & mea per Chriſtum: orans Dominum Deum noſtrum & patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſingulorú mentes illuminet in veritate, corda accendat charitate, & omnia ſimul regat ad finem pacis in vnitate

Spiritus obtinendum. Deinde verò quia nos monet Psaltes thronos Dei inter homines ad hunc ipsum finem constitutos esse, vt singuli qui pacem Ecclesiæ expetimus, ab illis thronis iusta assequamur adiumenta pacis & prosperitatis: vos appello, ô serui Dei, qui ex animo ad thronum spiritualem Christi in Ecclesia procumbitis, & à Deo hauritis mysteria gratiæ & gloriæ, quam Deus timentibus se præparauit: vos item appello, ô serui Dei, qui ex officio ad thronum ciuilem in societate humana euecti estis, vt regatis eos in pace quos fidei vestræ commisit Deus: Expetite vos quoque pacem Hierosolymorum: curate vt amantes Ecclesiæ fruantur prosperitate, vt pax sit præmunitioni & prosperitas palatiis eius: facite vt qui non sunt aduersus illam, pro illa habeantur, & in dies illi adiungantur ad vitam æternam per salutis verbum. Nam si hoc cuique de populo, multò magis cuique de numero vestro præceptum est, & impositum hoc munus à Domino. Experimini itaque singuli cum animis vestris pacem illam Domini lætificantem conscientias vestras: procurate vt vestræ illius pacis fructus etiam procedat foras ad eos in quorum societatem vos adduxit Deus.

Studeamus, ô fratres dilectissimi, vt pacem Domini semper cogitemus, semper cupiamus, semper omnibus ostendamus, semper colamus, semperque defendamus strenuè, cùm aduer-

aduersarium pacis videmus minimè otiantem, sed dies & noctes insidiantem aut appetentem corpus illud Christi, quod ad pacem in veritate & sanctimonia vocatum est. Inuenit quidem aduersarius ille ad pacem Ecclesiæ oppugnandam armorum plus satis (proh dolor) in Ecclesia ipsa, & membris singulis ipsius, ouibus, & pastoribus. mortificemus ergo veterem illum hominem, mortificemus membra carnis nostræ paci illi cælesti aduersantia, & omnes aditus veteri illi serpenti, quàm diligentissimè fieri potest, præcludamus; cauentes seriò nobis ipsis, & ad nos ipsos attendentes, & ad ouile Christi, & ad oues singulas illius, vt pacem, quam suo sanguine peperit, frendente Satana constantissimè teneamus. Vos autem, ô viri Principes, qui orbem Christianum videtis tum grauissimis incommodis per infirmitatem ipsius infestari, tum ab iis instrumentis sæpe torqueri & excarnificari miseras animas, quæ Deus sanctificauerat vt pacis instrumenta essent; rogo per sanctissimum nomẽ Domini nostri Iesu Christi, per ampliſſimas miserationes illius, ad quarum communionem salutarem vocati estis, per suauissimum illud nomen Christianitatis quo honorauit vos Dominus, & ab aliis cupitis honorari, per fructum illum ampliſſimum, quem in hac vita spondet, & exhibet, atque in futura consummaturus est Deus; vt miseram Christianitatem, quæ plus satis theatrum dissidio-

rum & rixarum fuit, consilio & ope vestra alleuetis: humano ordine vestro ouibus Christi consulatis: pastores, quicumque tandem illi sint, ad honorem Dei prosequendum & animarum salutem promouendam abiectis aliis cogitationibus, ex verbo Dei, vrgeatis: impediatis ne intempestiuis imprudentibusque remediis, vel potius vitiis adnascentibus vitia accendantur, & pax illa optatissima Christi in mentibus Christianorum omnium, in Ecclesia ipsa (quemadmodum indignissimè adhuc fieri vidimus) tantopere infirmata & debilitata corruat. Vos huic sanctissimo Christianitatis ædificio sustinendo, tanquam tibicines; huic partui alendo & curando, tanquã nutricios; huic corpori tutando, tanquam parentes præfecit Deus. Quandoquidem ergo à Deo est corpus, & à Deo estis huic corpori præpositi, & vtriusque Deo rationem reddituri in vltimo illo die; ita rerum vestrarum & Ecclesiæ totius satagite, vt tanquam oues de instituto vitæ, & tanquam pastores de instituto administrationis vestræ possitis Domino illi & Deo omnium respondere, freti præsidio gratiosissimo illius cui vos oportet seruire, Domini nostri Iesu Christi.

8. *Propter*

8. *Propter fratres meos & amicos meos, eloquor iam, pax sit tibi.*

9. *Propter domum Iehouæ Dei nostri, procurabo tibi bonum.*

NVLLVM genus est docendi communius aut euidentius, quàm quod ab exemplis sumitur. Nam auctoritatem non omnes agnoscunt semper, ad quos habetur sermo; rationem omnes non capiunt. atque hæc duo docendis hominibus attributa sunt, tanquam lumina intus & foris homini prælucentia, vt informetur de omnibus rebus quas ab ipso cognosci refert. Sed cùm hæc duo lumina (vtvt homo tenebricosus est) exemplorum lineamentis ante oculos ipsius adumbrantur; tum fit vt humana mens, quibuscumque circumfusa tenebris, quasi propius admota luce videat acutiùs, & ad reliqua illa ampliora lumina commodè percipienda, velut conspicilijs admotis, plurimum adiuuetur: præsertim si ab iis ipsis qui duas illas faces, auctoritatis & rationis, præferunt, illa exemplorũ adminicula simul præbeantur coràm: nempe si iidem typi sint operum, qui sermone docent, & quæ dicunt faciant. Atque hæc causa est, cur vbique Christus de seruis suis sermonem habens, facere & docere, tanquã in vnum compegerit; & ipse quoque potentem dictis & factis

factis sese ostenderit. Paulus item se nõ sermone modò, sed etiam opere docet ouibus Christi præiuisse, & seruos Dei præcipit typos esse
Iacob. 1. bonorum operum & salutaris doctrinæ. Iacobus affirmat, si quis audit sermonem & eum non præstat, eum similem esse viro consideranti faciem suam natiuam in speculo: ac propterea iubet vt non simus auditores obliuiosi sermonis, sed actores operis. Omnes denique Apostoli in hoc instituto perstiterunt, ne quando
1. Cor. 9. cùm aliis prædicarent, ipsi fierent reprobi, vel reiectanei, vt Pauli vtamur verbis. In hunc igitur modum Psaltes, vbi omnes instituit de summo illo pioque studio quo pacem Ecclesiæ opus est experi, & singulos de modo expetendæ illius pacis informauit, statuit postremò se ipsum in exemplum sermonum suorum & doctrinæ communis statuere. Atque hoc certo consilo facit: tum vt doceret suos, quàm verè & ex animo antegressa illa documenta de lætitia & pace Christiana in commune Ecclesiæ proposuerit, tum vt omnes videant & sentiant nos à seruis Dei non doceri res (vt vocant) impossibiles, neq. obrui oneribus difficilibus portatu, quæ ipsi digito suo mouere noluerint; sed potiùs vt illius aliorumque Prophetarum exemplis, tamquam nube testimoniorũ, circumsepti, discamus tandem nos tædere nostri, naturæque nostræ, & ad officium illud sanctum, quò nos prouocauit, quasi præeunte eodem duce contendamus. Hic

Hic ergo finis ille est ad quem Propheta spectauit, cùm hos duos versus antecedentibus subiiceret: nimirum vt nobis se sisteret in exemplum, & nos suo ipsius exemplo accenderet confirmaretque in sancto instituto nostro. Summa est, Dauidem velle, certissimis iustissimisque de causis, ac necessariis, sermone expetere & opere procurare pacem Ecclesiæ Dei; & hoc officium spondere, dum erat victurus, ad communem ædificationem. Partes itaque duæ sunt: vna est sponsio sermonum orationumque ad pacem Ecclesiæ pertinentium: altera, sponsio operum ad eundem finem, si qua vnquam ratione vlla ab ipso poterunt proficisci paci Ecclesiæ commoda. Prior locus 8. versu, posterior vltimo proponitur. Quamobrem de vtroque distinctè nobis videndum est: & quia causæ simul coniunctæ sunt, de illis eadem opera dicendum quod ad hunc locum videbitur pertinere, & ad consilium nostrum.

Sponsionem igitur sermonum de pace Ecclesiæ Propheta faciens, dicit: *Eloquar iam: pax tibi.* Causam verò adiicit illis verbis; *propter fratres meos, & amicos meos.* Ac de causa quidem iam antè diximus. Nam quæcunque ad cōmunionem sanctorum edocti fuimus pertinere, ea fundamento nituntur illius germanitatis seu fraternitatis, & propinquitatis nostræ, quam non solùm inter nos habemus à natura, verùm etiam (quod potentius est) à gratia Dei in Chri-

sto,

sto, omnes quidem vocante communiter; sed benedictos à Patre vocante singulariter. Hæc conscientia, qua nos fratres & propinquos alios esse aliis nouimus, coniunctissimos efficit, vt tum pacem inter nos procuremus; tum de pace & prosperitate alij aliorum lætemur in Domino. Hæc igitur causa illa est, ad quam Propheta respexit illis verbis. Etsi, quod antè disertis verbis expressimus, non temerè Propheta *fratres & amicos* distinctè nominauit: sed vt per incrementum elegantissimum oratio assurgeret. quia fratrum appellatione ij solùm propriè continentur, qui & natura & gratia nobis coniuncti sunt in Ecclesia Dei; amicorum verò appellatione etiam ij qui foris sunt, & ab Ecclesia absunt: quibus vocandis omnes operam dare tenemur in Domino; quia (vt antè dicebamus) qui non sunt contra nos, ij pro nobis esse putandi sunt: quemadmodũ promissione Deus ostenderat, dicens, Benedicam iis qui benedicent tibi, cùm Abrahamum promissionibus gratiæ instrueret.

Luc. 9.

Hanc eandem causam pios omnes indesinenter sibi, præsertim hoc funestissimo perturbatissimoque seculo, necesse est ante oculos ponere; vt non alienationibus (quas videmus) animorum, aut præposteris & iniquis in alios iudiciis studeamus; sed optima fide & conscientia fratres & amicos singuli cognoscamus, cum illis coalescamus quàm diligentissimè, eosque

omnibus

omnibus officiis quæ in manu noſtra Deus poſuerit, ex charitate ἀνυπκείτῳ proſequamur. Hæc igitur cauſa, quæ Prophetam excitauit, & nos omnes longè iuſtiùs ac vehementiùs excitare debet ad illa, quę pòſt ſequũtur, officia præſtanda accuratiſſimè, quàm Themiſtocles olim ſe Miltiadis tropæis excitari de nocte prædicabat. Hæc enim tropæa ſunt Dauidis & Chriſtianorum omnium clariſſima, quòd & ciues ſuos ſeruauiſſe, & hoſtem ſalutis deuiciſſe dicuntur à Domino.

Officium autem in ſermone poſitum, quod Propheta ſpondet his iuſtiſſimis de cauſis, duabus in rebus poſitum eſt, nimirum in Specie officij, & circumſtantiis. Speciem officij Propheta ſpondet, cùm dicit: *Eloquar pacem tibi.* Circumſtantias, cùm addit, *nunc* vel *iam*, vnica voce de ſignauit. Species officij in eloquenda pace Eccleſiæ poſita duo membra continet, pro ratione obiectorũ ſiue perſonarum, apud quas iſta ex officio ſuo eloquuntur pij. Ad vnum pertinent orationes, & preces, gratiarumq. actiones, quibus Deum Eccleſiæ caput appellamus de pace illius: ad alterũ communicationes cum Eccleſiæ membris, cum amicis, & cum Eccleſia vniuerſa. Nam ſiue ad Deum reſpiciamus, pacem oportet ſpirent animi noſtri, & pro ea ſuſpirent coram Domino Deo pacis; ſiue ad homines qui nos circumſtant, oculos & cogitationem conuertamus, proferri à nobis ad pacem

oportet

oportet omnia; vt qui filij simus illius qui Deus est pacis; alumni Ecclesiæ, quæ domus est pacis; membraque illius corporis quod Christus redemit conciliata cum Deo pace, & constituta inter nos in vnitate Spiritus. Atq. hæc quidem omnia iam antè fusiùs sunt explicata: Sed ea Propheta sibi ipsi nominatim applicauit, vt nostras singulorum conscientias permoueret excitaretque ad idem officium in veritate & charitate præstandum. quod officium si tam diligenter plerique omnes coleremus, quàm diligenter studia & opera carnis colimus, quę Apo-
Gal. 5. stolus ad Galatas scribens exprimit copiosissimè; iamdiu profectò extinctis mortiferis seminibus Satanæ suauissima pace ampliùs frueremur.

Sed quid sibi vult illa temporis circumstantia, cùm Propheta dicit & Ecclesia verbis illius, se *iamiam* eloqui? Respicit quidem ad singularem illam occasionem quam principio Psalmi demonstrauimus, quòd Deus locum designasset habitationis suæ, & arca in eum esset importata, ac cultus institutus: sed etiam spectauit vlterius, nempe ostendit se velle prædicare ser-
2. Tim. 4. monem pacis, & instare tempestiuè & intempestiuè, adeoque illicò sine mora aut cunctatione vlla in eo sancto opere sese occupare. Notum
Luc. 9. est illud Christi, neminem, qui manu sua admota aratro respexerit ad ea quæ retrò sunt, appositum esse ad regnum Dei. notum & illud

Apostoli:

Apostoli, quando placuit Deo retegere filium suum in ipso, vt euangelizaret illum inter gentes; non statim prætereà contulisse cum carne & sanguine. Notum & illud elegans Cypriani dictum, cùm Aspasio Paterno proconsuli Africæ tentanti ipsum, spe vitæ seni facta, responderet in rebus sanctis non esse deliberationem. Hoc igitur institutum suum citra vllam cunctationem deliberationemque, inde ab illo ipso momento ad vltimum vsque spiritum, profitetur Psaltes: ostenditque se (quod præcipit Apostolus) indesinenter oraturum esse pro pace Ecclesiæ Deum, & indesinenter cum fratribus atque amicis de pace Ecclesiæ sermones habiturum, neque passurum se, vt vel ad momentum abripiatur ab isto sanctissimo officio cotã Deo hominibusque persequendo.

Hactenus de sermonis ad pacem officiis. Sequitur alter locus, de officiis ad pacem opere præstandis: qui locus duas consimiliter habet partes: vnam, de causa istius officij; alteram, de substantia & specie illius. Causam Propheta expressit his verbis; *propter domum Iehoua Dei nostri*: Officium illis, *procurabo quod bonum est tibi*, vel *exquiram bonum tuum*. Respicit autem propriè hæc narratio causæ ad propositionem illam primam, qua vsus est Propheta in principio, dicens piorum coëuntium verbis; Domum Iehouæ adeamus: quo ex loco deprompi facilè potest horum verborũ interpretatio. Ad sum-

mam, causam instituti sui vniuersè Propheta ponit *domum Iehouæ Dei nostri*: quibus verbis ostendit se ad hoc institutum adlaborare causa Ecclesiæ; non simpliciter quà domus est ex membris humanis coagmentata, sed singulariter quà domus est Iehouæ Dei nostri, ab illo inhabitante sanctificata ad gloriam suam. Proinde cùm Ecclesia non possit rectè à nobis considerari, nisi secundùm relationem illam quâ ad Deum est ordinata; ex eo sequitur planè, qui Ecclesiæ bene cupit, eundem etiam quodammodo cupere Deo qui Ecclesiã inhabitat. Cupit autem Ecclesiæ pius, tanquã ad finem propinquiorem & quodammodo συμφυῆ, siue (vt loquuntur) connaturalem respiciens: Deo autem cupit tanquam ad finem vltimum, in quo Ecclesia ipsa & singuli nostrũ in Ecclesia conquiescunt. Nam quemadmodum nos in Ecclesia conquiescimus, non quia domus est, sed quia domus Dei; non quia corpus, sed quia corpus Christi: ita è diuerso, cùm bene Ecclesiæ cupimus, nõ eò simpliciter cupimus, quòd domus & corpus sit, sed eò maximè, quòd domus Dei viuentis est & corpus Christi.

Atque hæc causa est, cur Propheta non tantùm in descriptione Ecclesiæ quà est, sed in descriptione Dei, à quo & in quo Ecclesia est, aniplius hæret, dicens: *domum Iehouæ Dei nostri*. Nam *Iehouam* nominando, ad vnam illam essentiam respicere nos iubet, quæ sola est per se, & aliis

& aliis dat esse, & principium est omnis boni in rerum natura: boni, inquam, tum ex natura, tum ex gratia in nos omnes collati. *Deum* verò *nostrum* appellando, respicit ad fœdus illud sanctissimum, quo Deus noster est, & nos vicissim populus illius, & ad demonstrationem fœderis eiusdem per sermonem & operationes gratiæ. Sic enim passim in Scripturis Deus promissiones suas aut operationes asserens, fundamenta naturæ & gratiæ ad confirmationem suæ veritatis in suis solet coniungere. Quò etiam illud pertinet, quòd in declaratione suarum promissionum, Vnitatem essentiæ, & personarum Trinitatem in vnitate plurimùm denotat: Vnitatem, quam ex natura nouimus naturali appellatione *Iehoua*: Trinitatem, quam ex doctrina & reuelatione gratiæ didicimus, gratioso fœderis ellogio significans, cùm se inscribit *Elohim*, vel *Deum nostrum*.

Hæc autem causa quam Propheta adfert, profectò eiusmodi est, vt singulos nostrûm dies noctesque possit afficere vehementissimè, nisi grauissimo veterno in sentiendis & persequendis bonis, grauissimaque obfirmatione in amplexandis malis, ad perniciem nostram teneremur. Cùm autem iam ille Iehoua Deus noster nos à malis vindicauerit, & nobis bona adiudicauerit quæcunque ab ipso ad rem creatam peruenire possent; quid excusationis vel in speciem prætexemus corã Deo atque hominibus,

si ab eâdem causâ persequenda abstineamus, ex quo Iehouam Deum nostrũ & Ecclesiam Domum Iehouæ Dei nostri per Scripturas sacras didicimus? Quapropter (vt ait Apostolus)
Ephes. 5. expergiscamur qui dormimus, & surgamus à mortuis, & illucescet nobis Christus. Intueamur semper in illam essentiam diuinam, quæ principium est omnis boni, tum natura com-
Hebr. 12. muni, tum gratia erga nos singulari: Intueamur in Patrem illum omnipotentem, qui nos dedit filio in Ecclesiam colligendos: Intueamur in fidei ducem ac perfectorem Iesum, qui pro gaudio sibi proposito pertulit crucem, & ad dextram throni Dei consedit, quò nos eueheret: Intueamur in Spiritũ illum patris & filij habitantem in nobis, & testanté spiritui nostro nos esse filios Dei, & tẽpla sancta Domino: Intueamur in Ecclesiam, in quam velut templum lectissimum Deus nos conuocat, vt per eam ad se contendamus virtute æterni spiritus viuentis in nobis. hæ causæ nos ita moueant, vt cæteras causas dimoueant ex mentibus nostris, & rapiant ad sanctissimum illud studium, cuius hîc Propheta meminit, & seipsum exhibet typum in pietate & sanctimonia ad hæc officia præiturum.

Quid ergo est officij, quod Propheta hoc loco prædicat? *Quæram*, inquit, siue *procurabo quod bonum est tibi*, ô Ierusalem, vel domus Iehouæ. Procurantur quæ adsunt, vt augeantur atque

conser-

225

conseruentur: procurantur quæ absunt, vt inueniantur comparenturq. labore quærentium nostro. Iam vtroq. modo Propheta dicit se procuraturum quod bonũ est Ecclesiæ Dei. Quid autem illud sit quod bonum est Ecclesiæ Dei, in præcedentibus satis explicauit. Bonũ summum Ecclesiæ est, quòd domus est Iehouæ Dei nostri, ad ipsum ordinata constantissimè in Christo per vnitatem Spiritus: hoc esse illius. Ex eo bono sequuntur bona omnia, quæ deriuantur in nos à Domino: siue percipienda intus à nobis, vt sunt fructus illi Spiritus, quos antè Propheta nominauit, pax & gaudium in Spiritu sancto; siue proferenda à nobis ex quo sumus in Christũ insiti, & cõsortes facti pacis lætitiæq. spiritualis illius, vt sunt fructus illi Spiritus, qui in sanctificatione vitæ, & charitate, & pace versantur; siue extrà insuper accedentia per benedictionem Dei, vt sunt pax illa & prosperitas Ecclesiæ, de qua Propheta antè sermonem habuerat. Hæc omnia quisquis procurat, procurat Ecclesiæ bonum: qui non procurat, Ecclesiæ officit, vtut sibi aliter videatur. Neq. dubium est, quin ad hæc omnia Propheta actus Spiritu Dei respexerit. Verumtamen cùm illi fructus à forma Ecclesiæ interna externaque sint; nec extra Ecclesiam, sed in Ecclesia, id est, in Domino, qui inhabitat Ecclesiam, sint præsentissima: verius id esse existimo, agere Prophetam maximè de tertio illo bonorum genere, quibus foris be-

nedicit Deus iis quos interna benedictione instruxerit. Omnia igitur bona dat Deus, & omnia quærimus data; quia nec illa ipsa quæ data sunt, nec nos ipsos (adeò cæci sumus infirmitate nostra) inuenturi simus, nisi nos quotidiè exploremus, & bona Dei, tum quæ iã ex facto dedit, tum quæ porrò gratiosè daturus est, quæramus in Domino. Horum in numero est pax, bonum suauissimum, quod se procuraturum spondebat Psaltes certa Spiritus Dei testificatione, dicentis, Persequimini pacem & sanctimoniam, sine qua nemo Deum visurus est. *Hebr. 12.*

Quas ob res, quotquot sumus qui nomen Deo patri per Christum dedimus in spiritu, qui ad Ecclesiam indulgentissimis promissionibus & gratiosissimo fœdere ipsius prouocamur, qui in Christo redempti sumus pretio amplissimo, qui in Ecclesia pedes nostros consistentes agnoscimus virtute Dei, qui testimonio communi gratiæ diuinæ fruimur in domo eius, vt nomẽ ipsius pro tanta beneficentia percepta celebremus, qui ordine ipsius diuino atque humano ad ius colendum & persequendum deducimur, qui circumsplendente luce testium Dei & Christi sanctissimorum clarissimorumque ad pacem Ecclesiæ procurandam accersimur; qui deniq. exemplo sanctissimi Prophetæ Dauidis informamur de omnibus illis pietatis charitatisque erga Ecclesiam, & fratres, & amicos omnes officiis: fugiamus, per Deum immorta-

mortalem, omnia illa incommoda, in quæ à natura ferimur præcipites: carnẽ peccatricem, & membra nostra mortificemus in carne: à studiis carnis, quàm diligentissimè fieri potest, abscedamus: Deum quæramus in Ecclesia: Ecclesiam in Deo, nos & fratres nostros in Deo & Ecclesia simul recognoscamus, & pacem cum omnibus à Deo constitutam colamus constantissimè, fugientem persequamur, oppugnatam propugnemus, amissam quæramus, inuentam teneamus, & obtinentes optimè seruemus in Deo, in Ecclesia, in nobis, & inter nos religiosissimè, expectantes optatissimum illum aduentum Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi: qui pacẽ hîc in se partam, & in nobis inchoatam, illîc in cælis consummaturus est perfecta & æterna consummatione. Amen.

PARS II.

PSALMVS CXXXIII.

1. *Canticum excellentissimum, Dauidis. Ecce quàm bonum & quàm amœnum est habitare fratres etiam vnà.*

CVM hoc scriptum instituimus, de re perneccessariâ, nimirum de pace Ecclesiæ dicturi, hæc summa à nobis fuit proposita instituti nostri: tandem aliquando à pugnis & contentionibus absisti oportere, & pacem quæ sit secundùm Deum procurari, vt fructus illius ampliſſimos suauissimosque à Deo pacis assequamur. Itaque sermonis instituti ordinem persequentes, cùm ex Prophetæ verbis de procuranda pace & rebus ad eam pertinentibus in Psalmum antecedentẽ dixerimus; nunc videndum nobis est, vt de fructibus illius pacis secundo loco adferamus quæ nobis à Spiritu sancto in breuissimo hoc Psalmo fuerunt dictata. Est enim hic Psalmus perbreuis quidẽ in speciem indiculus; sed ampliſſimus argumento, spiritualium fructuum illius pacis, quã Deus cum Ecclesia sua communicat, certissimam doctrinam conuenientissimo ordine comprehendens.

dens. Quapropter etiam, vt alij aliquot Psalmi, quos prisca Ecclesia olim in vnum ordinem contulit, *Canticum excellentiarum* siue excellentissimum appellatur.

Cùm autem de hac Cantici inscriptione, quæ vtriusque Psalmi communis est, ea in antecedentem illum dixerimus, quæ ad huius argumenti commodam intelligentiam pertinent, non statuimus hîc actum agere, & lectorem in eodem saxo versando occupare. Id nobis futurum est in præsentia satis: auctorem, & rem, & modum æquè nobis inscriptione huius cantici atque antecedentis demonstrari. Auctorem Deum esse, qui ipsum dederit, per Dauidem virum Dei actum spiritu illius. Rem, quæ hîc exponitur auctore spiritu veritatis, esse omnium excellentissimam: Modum denique esse hunc, vt quemadmodum ratione cõmodissima perscriptus est & traditus Ecclesiæ Dei, ita etiam accipiatur ab Ecclesia singulisque membris illius; & auditione, lectione, recordatione, cantu vel modulatione cùm priuatim, tum etiam publicè recolatur propter amplissimam eius dignitatem & certitudinem. Quas ad res, non dico si viri sumus, sed (quod amplius est) si filij Dei sumus, oportet nos omnes neruos facultatesque nostras contendere; vt Deo obsequentes ad res excellentissimas religiosè aspiremus, easque indesinenter colamus cum animis nostris, reputantes singularem Dei beneficentiam, qui

nos ad excellentissima omnia tam gratiosè prouocat, dum stadium huius vitæ decurrimus.

Omissa itaq. inscriptione Cantici huius, de verbis & argumento illius speciatim nobis videndum est. Finis, quem Propheta spectauit, cùm hoc canticũ Deo auctore perscriberet, Ecclesiæque asseruandum & decantandum traderet, hic proprie videtur esse; vt fructus pacis quam Ecclesia à Deo habet, perspicuè exponeret; & contemplatione illorum, animos vniuscuiusque veri membri in Christo Ecclesiaque insiti per fidem, ad vtrumque studium, tum fructuum quos singuli natura cupimus, tum pacis quæ nobis datur & fructuosa est per gratiam, eadem opera accenderet. Nam quis fructus excellentissimos videns non appetat? quis arborem illam vel plantam, ex qua fructus progignuntur excellentissimi, non anteponat cæteris rebus, si sapit? Hanc igitur artem adhibuit Psaltes, vt singulos nostrũm ad eundem finem persequendum raperet, quem ipse vtendum docendumque proposuerat sibi.

Summa autẽ est, illius pacis, quam in communione sanctorum cum Deo Ecclesiaq. eius obtinemus, fructus esse bonis omnibus commendabiles, & summopere appetendos, tum bonitatis ipsorum, tum suauitatis & iucunditatis nomine. Hos enim fructus nihil in rerum natura adæquare dignitate potest, nedum antecellere: quia vt radix, sic etiã fructus sunt à sola benedi-

228

benedictione Domini, qui nobis benedicit omni benedictione spirituali in locis supercælestibus in Christo, vt Ephesiis scribit Apostolus. Eph. 1.

Partes itaque huius Psalmi in vniuersum duæ ponendæ sunt: Nam primũ habetur propositio totius argumenti, versu primo. Deinde verò expositio & enarratio illius, duobus sequentibus. Propositionem autem Propheta in hunc modum instituit, vt rem quidem proponat verbis simplicibus, dicendo: *Bonum & amœnum est habitare fratres etiam vnà*: Sed tamen amplificet dignitatem illius duobus sermonis figurati modis, cùm dicit, *ecce, quàm bonum, & quàm amœnum.* Primùm itaque de ipsa propositione simpliciter dicturi sumus, deinde verò destringemus illa ornamenta ad amplificandam propositionis dignitatẽ hoc loco adhibita.

Est igitur hæc propositio, communioné sanctorum bonam & amœnam vel iucundã esse. Communio sanctorum denotatur his verbis, *Habitare fratres etiam vnà.* Quod autem adfirmatur de hac communione, verbis simplicibus & apertis enuntiatum est; bonam videlicet eam & amœnam esse. Ad communionem sanctorum rectè intelligendam duo distinctè opus est obseruari, quid, de quibus dicatur; nempe de sanctis sancta communio: quam communionem in antecedens Canticum copiosè declarauimus. Sancti qui in hac communione sunt, appellatione *fratrum* denotantur: Communio

nio verò quæ inter ipsos est, communi habitatione per synecdochen Hebræis vsitatam hîc adumbrata est.

Ac fratres quidem appellantur sancti qui in Ecclesia sunt, non naturæ ordine, sed gratiæ diuinæ instituto. Fratrum enim duo sunt genera, pro ratione principiorum ex quibus efficiuntur fratres. Vnum principium natura est; secundùm quam fratres appellantur quicunque ex communi parente sunt, siue gradu proximo, vt sunt germani fratres; siue remotissimo, vt sumus omnes filij Adami, ad vnam speciem (cuius radix & principium fuit Adam) pertinentes; siue intermediis, prout inter hos duos gradus germanitatis plurimi etiam ex naturæ aut ciuili ordine τῆς ἀδελφότητος gradus intercurrunt. Cùm autem in Ecclesia non fiant gradus isti, vt qui à natura sint; sed potiùs in ea inueniantur, vt à natura facti; necesse est, vt fraternitatem hanc, de qua agit Psaltes, in Ecclesia non à natura, sed ab instituto aliquo sentiamus proficisci. quod institutum non humanum, sed diuinum esse eo cognoscimus, quòd Pater Ecclesiæ, qui dat Ecclesiæ id esse quòd est, idem est membrorum pater, qui dat eis esse in Ecclesia id quod sunt. Sumus autem inter nos fratres, primùm quidem in Christo conciliati Deo; deinde verò inter nos in Christo: quia Christus caput est, cuius vi omnium membrorum inter se compages est coagmentata, & totum corpus

Ephes. 4.

ex eis

ex eis constitutum assurgit in iustam staturam ipsius. Secundùm rationem hanc proximè inter se dicuntur fratres, quicunque in Christo & Ecclesia sunt germani filij Dei Patris in Christo adoptati per gratiam. Verumtamen inter illam fraternitatem naturæ & hanc fraternitatem gratiæ, media quædã est fraternitas, quidam quasi transitus à natura ad gratiam, per vocationem externam hominum à natura ad gratiam transmeantium virtute vocantis Dei. Fratres igitur secundùm carnem & speciem natura facit: Fratres secundùm spiritum facit gratia internæ vocationis, quæ singularis est in Christo: Fratres verò cõmunes secundùm participationem aliquam gratiæ facit externa vocatio, quæ communis est mundo & Ecclesiæ, vt omnes à mundo ad Ecclesiam transeuntes cum Christo in ea coalescant. Sed quia de hac ratione fraternitatis nostræ, sanctisq. eius officiis, in Canticum præcedens diximus; nolumus hîc longiores esse: modò hoc singuli obseruent in Prophetæ verbis, propriè hîc de illa fraternitate intima in Christo agi, quæ vt summa est, ita etiam alia illa iustæ fraternitatis genera cõplectitur. Nam qui frater est hac fraternitate nobiscũ in Christo, idem & natura, & externa vocatione frater est: quandoquidem è natura per vocationem externam ad intimam illam & fraternam coniunctionem euocatur, perduciturque. Huius accessio non est illarum interitus, sed magis per-

perfectio: quemadmodum vnitati si duo adieceris, non tollitur, sed augetur vnitas; nec flammula exstingitur si flammam admoueris.
Quòd si fraterna coniunctio ex natura tantis viribus est, vt nulla volũtate hominum dissolui possit, quin semper fratres iure necessitudinis (quod ne tyranni quidem ius perfringendi habent, vt sese Dionysius Siculus agnoscebat, leges à se latas, posse; à natura, non posse effringere) coniuncti inter se teneantur; si fraternitas ex consociatione humanarũ vocationum etiam homines inter se obstrictos tenet, quemadmodum prisci illi & prudentes Romani inter cæteros diligentissimè obseruabant, vt scripta illorum & historiæ docent: certè illam fraternitatem, quæ non ex naturæ, aut humano iure est, sed ex diuino instituto, & instituto gratiæ; eam (inquam) longè grauiotis momenti ad obstringendos inter se homines dicamus necesse est. Quàpropter satis mirari non possum eorum hominum siue audaciam, siue dementiam, qui tantum hoc ius necessitudinis, Deo auctore, diuina virtute, & mediis planè diuinis constitutum, tam parui faciunt, vt alios sibi fratres non esse iudicent; aut etiam, si fortè in cõmuni nouerint nos alios aliis fratres esse, tamen cùm ad singularia venitur, siue in particulari (vt loquuntur) hunc, illum hominem; hanc, illam Ecclesiam nihil secum habere coniunctionis & fraternitatis existimãt. Si à natura esset coniunctio,

ctio, natura euinceret non esse penes ipsos, vt ius naturæ perimant arbitratu suo: Si ex humano instituto esset, testaretur ipsorum cõscientia ius illud cõmunionis non posse dissui, nisi per eos quorum auctoritate conciliatum est. Nam vulgatum est illud dictũ, Quibus modis conficitur obligatio, iisdem tolli. Iam verò, Deus bone, quid audio? naturæ obligationem homo non perimit: humanam quoq. necessitudinem abolere priuato aut singulari facto suo vnus homo non potest: & necessitudo, quam diuinum institutum gratiæ conciliauit, voluntate hominis dissoluatur? O insaniam miserabilem! quâ se abripi quicunque sinit, iam priùs se Deo & Christo eripuerit, quàm alterum eripiat cogitatione necesse est. Nam quis odit suam ipsius carnem? quod membrum dat operam truncando corpori suo? Iam non est de corpore Christi, qui præsecare cogitat membrum Christi. Et tamen hic morbus est (vt ita dicam) epidemicus ætatis nostræ: in qua cognoscendis, librandis, iudicandis, damnandis, & explodendis fratrum nostrorum factis, & ipsis proteruè exiuctorandis, sumus plerique omnes audacissimi. Neque dubitamus homines, Ecclesias, regiones totas & potestates à Deo institutas, quasi pro imperio maledictis & anathematis incessere; quamuis Christum sapiant, quia nobiscum non sapiunt per omnia. Manet, mi frater, manet nostra coniunctio: sed tua est (cuius me miseret) alienatio.

natio. Si te alienare à me voles, non potes quin priùs alienes à Christo, in quo fratres sumus; ego nec volo, nec possum; quia fratrem me sibi adiunxit Christus, & fratrem effecit tibi. Si fraternitatem rumpis, deintegro nectam: si dissuis, dabo operam vt resarciam: si euertis, erigam denuò: si negas, affirmat Christus, & ego cum Christo: si audire non vis, audiunt tamen boni, & audit Dominus, coram quo miseret me ex animo impotentiæ tuæ. Misericordia ductus feram quicquid non potero corrigere: sed ferens tamen, hæc duo obseruabo studiosissimè: Vnum, vt constanter expectem à Domino curationem miserandæ istius infirmitatis tuæ: Alterum, vt ipse quoque iustas occasiones obseruem adiuuandi charitate & surrigendi tui, si fortè Deus hac mea opera ad salutem tuam aliquando vti voluerit. Cur enim perturbatos animo, vel in causa religionis, non feramus æquè ac ferimus eos quos ira, odium, & similia de statu mentis demouerint? Hæc si inter fratres nascãtur, nihilominus fratres sunt, nec esse desinunt. Iniquè ergo fecero, si propterea quòd fratrem te esse negas, aut negas officium fratris, ego in idem vitium incidero. nolo malefacto meo accumulare insipientiam tuã: sed sapientiæ quicquid accepi à Domino, id integrum conseruare, & ex officio restitutionem tuam procurare, aut certè, si nihil aliud, coram Deo hominibusque testari officium meum.

Est

Est autem officium hoc ad quod præstandum obstricti sumus, nõ solùm in eo positum, nequid faciamus mali; verumetiam in eo maximè, vt quibuscumque modis possumus, alij aliis benefaciamus in Domino: quod officium in symbolo fidei nostræ innuimus, dicentes nos credere cõmunionem sanctorum. Hoc à Propheta (quemadmodum antè perstrinximus) locutione commoda designatur, quòd *fratres habitent etiam vnà*: aut (si ita placet vertere) *consideant*. Huius autem communionis, de qua Propheta hoc loco instituit agere, ratio commodissimè quatuor vocibus exponitur: prout quatuor sunt capita ad iustam communionis huius intelligentiam necessaria. nam primùm communio iuris est qua *fratres* sumus, Patris eiusdem filij. tum communio actionum atque bonorũ est, qua *habitare* dicimur. præterea communio principij & typi diuini est, qua *etiam* dicimur habitare alij cum aliis, puta vt communionem habemus cum Christo, de qua in Psalmo 132. actum est. Postremò harum rerum omnium modus communis est *vnio*, quam habemus vnitate spiritus in Christo Iesu. Ac de eo quidem quòd fratres sumus, satis antè dictum: De secundo ergo videamus.

Sanctorum fratrum actiones in communione ipsorum describuntur *habitandi* vel *considendi* verbo. Naturale studium illud est, vt vulgò dicitur, quòd similes similibus facilè aggregan-

tur: vt contrà qui inſtituti colunt diſſimilitudinem, res ſuas ſeorſim habere ſolent. Præterea & hoc naturale eſt, vt quibus eſt conuenientia in vitæ genere, illi etiam in occupationibus & actionibus ſuis eandem cõuenientiam ſeruent. Tum hoc quoque à natura eſt, vt qui actionibus vitæ communicaturi ſunt, ij bonis & commodis quæ ad actiones ſunt opus, etiam communicent. Deniq. vt hi cõſpirant animis, ita opere collaborant. Sicubi autem hæc ratio animaduertitur, id poteſt fieri in iis qui communi domicilio, communi patrefamilias, & communi inſtituto viuunt: idque maximè in iis qui fratres ſunt, prout hoc loco appellamur. Et certè communis eſt nobis omnibus Pater, Deus: communis habitatio, Eccleſia Dei, quæ eadem eſt habitatio ſummi illius patrisfamilias, à quo omnis agnatio (vt Apoſtolus inquit) nominatur in cælo & terra: inſtitutum à patrefamilias vnum eſſe & typo & modo, nemo, qui quidem Chriſtianus ſit, poteſt ignorare, cùm vnum caput, ſpiritumq. vnũ dederit ſuis, vt qui ex vnum ſunt, nõ dubitent communicare inter ſe habitatione. Quòd ſi quis Hebræã vocem interpretari malit *conſidendi* verbo, id eò amplius doctrinam illã confirmaturũ eſt quam modò attulimus. Nã demõſtratur hoc verbo tranquilla & ſedata Chriſtianorũ communi habitatione vtentium ratio: quòd non clamoribus, aut contentionibus, non pugnis aut cædibus, non animorum

Epheſ. 3.

morum præcipite vehemẽtia; ſed cõmoda quadam & cõpoſita ratione vitæ res ſuas inſtituant coram Domino. Compoſitus eſt Chriſtianorum animus, mentes compoſitæ: ex quibus ſtudia, ſermones, conatus, actiones eiuſdem modi informantur. Qui ſecus faciunt, ij eadem opera, patris familias à quo ſumus, capitis ex quo ſumus, ſpiritus per quẽ ſumus, & Eccleſiæ habitationis communis noſtræ, in qua ſumus, rationem videntur negligere. Hæc autem ſi negligunt, quam rationem habere ſui ipſorum dicendi ſunt?

Atque hæ quidem actiones ſi iudicio noſtro aut viribus à nobis inſtituendæ eſſent, peſſimè ſanè nobiſcum ageretur: cùm neque certa earum rudimenta informata in noſtris mentibus habeamus, neque facultatem vel ea ipſa præſtandi quæ nos docet lux naturalis conſcientiæ. Quamobrem tertium illud in hac ſanctiſſima communione nobis erat perneceſſarium: nempe vt principium certum, ac immutabile, & typum operum noſtrorum Dominus exhiberet: Principium, vt viribus illius ageremur: typum, vt ad exemplum imitationemque illius ageremus. Vtrumque, in Eccleſia nobis intùs & foris ſuppeditauit Deus, cùm & formam illam internam, quam Pſalmo antecedente dicebamus, indidit Eccleſiæ ſuæ; & formam externam verbi ſcripti atque prædicati, iuſtumque ordinem, qui ad conſtitutionem Eccleſiæ opus eſt,

commisit suis. Ad hæc duo præstantissima Dei beneficia respiciebat Psaltes, cùm diceret *etiam* de fratribus habitantibus vnà, & communionem suam colentibus. Etenim vox ista, *Etiam*, ad Psalmum 132. qui proximè præcedit ordine in libro Psalmorum, referenda est. Exposuerat enim Psaltes Cantico illo singulari excellentissimoque constitutionem Ecclesiæ Dei, qua spectat eum Dominum; & de cõmunione sanctorum, quam cum Deo habent coluntque animo & facto, dixerat copiosè. Cùm autem communionis ad sanctos pertinentis duplex sit ratio: Vna, qua omnes cum Deo; altera, qua omnes cum fratribus suis inter se communicant: placuerat Prophetæ de vtroque communionis genere duobus Psalmis continentibus res prædicare summè excellentes. Postquã igitur vim communionis cum Deo explicauit, & rationem totius Ecclesiæ, velut à Deo pendentis relatione perpetua: nunc demum definit hac voce *Etiam*, se hîc sermonem de altera communionis sanctorum parte instituere, qua alij cum aliis vt fratres communicant: idque non suo iudicio (nam sola doctrina Dei Ecclesiam informat, & singula membra eius) non suis viribus (nam Deus est, qui solus facit omnia in omnibus) sed ex sola doctrina & virtute Dei, vt qui solus in Christo sit principium Ecclesiæ & typus absolutissimus. Ab hoc igitur principio & virtute hac diuina in Ecclesia Dei exposita, intus Spiritu,

ritu, foris ordine sacri ministerij, vtrobique salutis verbo: Iam cõcludit Propheta, quicunque spiritus illius, & ordinis, & verbi participes sunt beneficio Dei, eos etiam sic habitare, id est, in vnitate spiritus, ordinis, & verbi salutaris sese huic principio & huic typo virtute diuina conformare, vt omnes simul habitent, quemadmodum à Deo vno in vnitate spiritus, vno communi ordine, & vna salutis doctrina vocati sunt. tanquam si diceret, se de iis demum loqui in hoc loco, qui sunt conscij apud se communis & singularis gratiæ à Deo acceptæ & in Ecclesia expositæ, qui etiam in seipsis hoc principiũ sentiunt, hunc typum ante oculos habent, qui toti deniq. etiam feruntur eò vnde hoc bonum acceperunt, & porrò accepturi sunt confirmationem illius atque complementum.

Vtinam verò quotquot Christiani audire volumus, in eo laboraremus studiosè, & prout didicimus Christum, ita in ipso ambularemus, vt verbis vtamur Apostoli. Nam Christiani sumus principio illo in nobis habitante, id est, Domino Iesu Christo, per communicationem Spiritus: sed isti principio plerique omnes non secus renunciamus, quàm qui sibi ipsi violentam conscisçit mortem, & adimit corpori suo principium vitæ suæ. Christiani sumus typo: sed veritatem ipsam typi pleriq. oppugnamus, & euertimus in nobis vitiositate nostra, viarumque nostrarum deprauatione. Principium

Ephes. 4.

tenemus, & fugimus: typum videmus, & delemus. hoc ſcilicet Chriſtianorum eſt. Si ergo Chriſtiani ſumus, & communionem illam habemus cum Deo, etiam atque etiam Chriſtiani ſimus cum fratribus noſtris neceſſe eſt, colamusque cum eis cõmunionem verè Chriſtianam, quæ nobis hoc loco imperata eſt.

Quòd ſi rerum iſtarum cõmunionem inter nos inſtituit Deus; quis adeò demens eſt, vt non continuò videat modi quoque ad has res pertinentis cõmunionem eſſe oportere? Hunc autẽ modum exponit Pſaltes, cùm de fratrum habitatione *vnà* vel *pariter* inſtituenda loquitur. Nam qui vnum ſunt in Chriſto, qui vno iure apud Patrem, qui vno principio viuunt, qui ad eundem typum imitandum & eundem finem prehendendum vocati ſunt, nõ ſeorſim quidem ſinguli, ſed vnà cõiuncti virtute Dei; hi profectò non poſſunt nõ ſentire neceſſitatem coagmentationis ſuæ, & rebus omnibus inter ſe communicare, vt optatiſſimũ illum finem ad quem vocati ſunt, per gratiam aſſequantur. Vnum eſt corpus (inquit Apoſtolus) & vnus ſpiritus: ſicut & vocati eſtis in vnam ſpem vocationis veſtræ. vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnes, & in omnibus vobis: His denique omnibus vnum commune domicilium & vna ſtatio, Eccleſia Dei; in qua nos verſari neceſſe eſt, & conuerſari prout decet vo-

Epheſ.4.

cationem

cationem noſtram, primùm Deo ſeruientes, deinde verò alios aliis ſecundùm Deum: & vbi ſingulari ac communi opera, ſeparata & coniuncta, ad vnum illum finem ſupernæ vocationis, tanquam vnius domini ſeruos, & domeſticos vnius domus, oportet contendere.

Quid? quòd non ſolùm vnitas, ſed etiam in hac vnitate noſtra membrorum & actionum omnium proportio eadem voce imperatur? Ex qua id ſequitur boni, quòd neq. à ſe ipſo quiſquam diuerſus ſit in via Domini, neque à ſuis fratribus, neque à Domino; ſed conſtanter & totus Domino ſuo fratribusque ſuis adhæreat, & ſequatur Dominum cum fratrum corona religioſiſſimè. Sed de hac re in Pſalmum antecedentem iam ſatis diximus. Deus ille, qui dat velle & perficere pro bona voluntate ſua, gratiosè admoueat paternam manum, vt per eam toto corpore, animo, & mente ſanctificemur, & huic officio incumbamus communionis noſtræ in timore ipſius.

Poſtquam verò quænam hæc communio ſit audiuimus; tempus eſt vt ex Dauide cognoſcamus quid de ea prædicari poſſit. Hanc igitur communionē duobus nominibus Pſaltes concelebrauit, dicens: *Bonum & amœnum eſſe* hanc communionem coli. Duplex gratia in communione ſanctorum proponitur, bonitatis & amœnitatis, vel iucunditatis ſummæ. hæc autē duo non temerè à Propheta fuerunt poſita, ſed ac-

commodatè ad naturam & captum hominis. Omnes enim à natura hæc duo expetunt, quod bonum eſt, & quod iucundum. Sic bonum expetimus vt voluptate coniunctũ velimus eſſe: etiam à medicamento quamuis ſalubertimo, ſi auſterum eſt, abhorremus. Sed bonum & iucundum vulgo cùm dicitur, quamplurimi errores mentibus humanis ſolent obrepere. Nam bonum aut commune eſt aut particulare, præterea aut animi aut corporis, tum aut morale in actione poſitum aut naturale ſolùm in ſenſu & contemplatione, poſtremò aut æternæ illius vitæ aut huius perituræ: quorum prius ſupernaturale atque diuinum eſt, in ſpiritu; hoc naturale & humanũ, in carne & ſenſu poſitum. Quid hîc homines faciant iudicij? Certè qui minimè omnium vtuntur ratione, bonum particulare communi, corporale ſpiritali, naturale & ſenſuale (vt ita dicam) morali, præſens futuro anteponunt: quia plurimum ſenſui vt pecudes, rationi perparum, auctoritati Dei in verbo reuelatæ nihil omninò tribuunt. Qui verò calamo rationis ſolius freti ſibi vidẽtur ſapere, ij in ſuis ratiocinationibus euaneſcentes vmbram boni pro bono amplexantur; & tamen quia ſeſe plurimum cum illis inferioribus comparant, apprimè omnium ſibi videntur ſapere. Ac proinde neque hi, neque illi vnquam poſſunt cernere quid bonum & iucundum ex veritate ſit. Bonum verò & iucundum, quod quidem verè

bonum

bonum atque iucundum est, illud appellamus, quod vnam habet constantem veramque symmetriam siue commensum & commoditatem boni: ita vt nec particulare de communi, nec particulare aut commune de vniuersali derogent, nec corporale spiritali impedimentum afferat, nec sensile aut naturale morali obsit, nec denique præsens & caducum futuro æternoque aduersetur; sed inferiora superioribus, omnia summo & vniuersali bono suo ordine & loco inseruiant. Hîc demum verè bonum esse & iucundum affirmamus, vbi hæc constitutio rerum animaduertitur.

Hanc constitutionem, saltem prout in rebus humanis præstari potest, siquis in familia cerneret, incredibiles sui amores excitaret; si in ciuitate, eo gratia amplior, quia commune illud præstat domestico: si in regione, si in mundo denique vniuerso (qui tamen hanc refugit malitia sua) præclarissimè nobiscum ageretur. sed quod in vniuerso mundo, in regione mundi, in ciuitate, in domo vlla deprehendi non potest, illud totum adeoque amplius in Ecclesia nobis exhibetur beneficio Dei. Nam etsi hoc bonum voluptatemque hanc mundus non videt, nec videt caro aut oculus carnis; vident tamen quicunque oculos habent cordis à Deo illuminatos atque expurgatos, id est, quicunq. in Ecclesia sunt, & in ea adhærent Christo viuenti in ipsis atque ambulanti. Hoc illud est quod

sibi Propheta voluit, cùm nobis exponeret hanc rem demum bonam & iucundam esse, quòd fratres habitent etiam vel consideant vnà.

Atque hoc quidem bonum, quamuis diuinitus bonum, & iucundum etiam diuinitus, tamen oculus non videt, auris non audit, homo denique nec palpare manu, nec gustare, nec odorari illud potest, nec sentire vllo pacto viribus naturæ suæ. Sed nõ propterea bonũ esse desinit, si bonum esse non videtur iis qui bonitatem hanc iucunditatemque non possunt percipere. Nec coloribus, nec sonis, nec odoramentis, nec suauitate rerum, nec tactu afficiuntur mortui, quia mortui sunt, id est, inepti percipiendis rebus quas modò diximus. Odoramentum est odoramentum, etsi in nares pituita obstructas inciderit. Ignis non propterea desinit ignis esse, si ea non vsserit quæ non sunt prædita potentiâ (vt vocant) passiuâ vt igne comburantur. Res omnes tum demum rectè agunt actiones suas, rectèq. percipiuntur, cùm ad obiecta cõmoda & conuenientia ipsis actionibusque ipsarum peruenerint. Quid tum igitur, si mundus non nouit istam bonitatem & iucunditatem, istos fructus Ecclesiæ? Quid tum, si ne Ecclesiam quidem nouerit? Ineptus est his rebus percipiendis. vitam Ecclesiæ non videt mortuus, odoramentum non sentit frigefactus, ignem Dei in Ecclesia nõ sentit lapis. Sed ij demum sentiunt quos Propheta hoc loco

vocat

vocat & excitat, dicens, *ecce, quàm bonum &c.* Communiter quidem hoc dicit, sed non omnes in communi audiunt: Ii solùm audiunt, quibus hanc doctrinam in manus tradi, & in animo inscribi voluit Dominus. Quapropter ad pios, qui mysterij huius verè capaces sunt, excitandos duobus argumentis pungit cõscientias nostras, cùm propositionem suam exornans atque amplificans, & subiectione vtitur, & admiratione vehementissima. Subiectionem dico, qua singulos nostrûm, quasi in rem præsentem vocat, inquiens; *Ecce:* admirationem verò, qua sibi ipse nõ satisfaciens in exponenda amplitudine boni & iucunditatis istius, omnes simul rapit in contemplationem illius, dicendo, quàm bonũ & quàm iucundum! perinde enim est atque si diceret, nec ego satis ex officio nosse aut prædicare illud possum, neque nostrûm quisquam, ac ne cuncti quidem, si vires nostras vnà coniungamus: sed vnica admiratio meo & communi nomine, quod dicturus essem si possem, demonstratura est. silentio meo, quod mihi amplitudo rei ipsius efficit, nolo iniquus esse in gratiam Dei; sed profiteri saltem admirando tenuitatem ieiunitatemq. sermonis mei in rerum tantarum cogitatione.

Hæc illa insignis est prædicatio, ad quam nos omnes qui Christiani sumus, opus est excitari, in quam opus introspicere, cuius bonitatem & amœnitatem, suauitatemque incredibilem explorare,

plorare, quam exploratam admirari & cum admiratione apud omnes pios coram Domino indesinenter testatam facere, quandoquidem (vt ait Apostolus) sic nota fit per Ecclesiã imperiis
Ephes. 3. ac potestatibus, etiam quæ in cælis sunt, multiformis illa sapientia Dei secundùm propositum æternum, quod constituit in Christo Iesu Domino nostro. Quæ cùm ita sint, primùm omnium Deum oro & patrem Domini nostri Iesu Christi, nos omnes, quos spiritali vocatione ad fraternam cõiunctionem in Christo primogenito inter multos fratres honorauit, regat Spiritu charitatis & pacis: vt quemadmodum dignatur habitare in nobis, ita nos in ipso etiam habitare vnà studeamus in vnitate corporis & Spiritus sui, & singuli magis ac magis sentiamus, experiamurque, quàm bonum & quàm iucundum sit sanctissimam illam vnionem, cuius ipse auctor est, conseruare. Deinde verò hortor & oro pios omnes per Christum, & quicunque studio vitæ æternæ suæ gloriæque diuinæ affecti sunt, tandem aliquando discant, extra hanc communionem recognoscere quàm mala & ingrata omnia: vt hac ratione gloriam cedentes Domino, & ab omni distractione discidioq. in sanctimonia, pace, modestia, & lenitate spiritus abstinentes; dent operã diligentissimè optimis & iucundissimis cõmunionis huius officiis, quæ Deus hîc & in futuro seculo, certissimo verissimoq. bono & iucunditate muneraturus est in Christo Iesu. 2. *Est*

2. *Est vt vnguentum illud optimum, superfusum capiti, descendens super barbam, barbam Aharonis; quod descendit ad oram vsque vestimentorum eius.*

ETSI verissimũ axioma illud est quod antè Propheta enunciauit, de bonitate & amœnitate pacis in communione sanctorum: tamen partim nostra infirmitate & impedimentis aliunde obuenientibus, partimque rei maiestate detinemur, ne veritatem istius enunciati ex officio cognoscamus, nisi Dei Spiritus per ministros suos ad tenuitatem nostram sese demiserit. Propterea Psaltes ædificationi publicæ consulturus, deinceps duobus versibus instituit enarrationẽ breuem propositionis illius quam modò diximus: vt & rei veritatem ampliùs videamus, & ab ea quoque afficiamur vehementiùs ad quærendã gloriam Dei & salutem nostram. Est autem huius expositionis modus à Propheta institutus duplex: Nam primùm similibus ad declarationem illius enunciati commodis vtitur; deinde verò rem simpliciter, prout in se est, apodeicticè enuntiat, à causa efficiente supernaturali, necessaria, liberrima, ac non impedita, quæ ex sese indesinenter præstat enunciati huius veritatem. Hunc ordinem in ratione docendi conuenientissimum esse natura ipsa ostendit: & Christus non obscurè cùm locis

locis quamplurimis exemplisque frequentibus, tum disertis verbis confirmauit, cùm Nicodemum alloqueretur, dicendo, Si terrena dico vobis & non creditis, quo modo, si dixero vobis cælestia, credetis? Hæc eloquentia quædam est, ait Augustinus, doctrinæ salutaris, mouendo affectui discentium accommodata, à visibilibus ad inuisibilia, à corporalibus ad spiritalia, à tẽporalibus ad æterna. Nã ipse animæ motus, quamdiu rebus adhuc terrenis implicatur, pigriùs inflãmatur: si verò feratur ad similitudines corporales, & inde ad spiritalia quæ illis similitudinibus figurantur, ipso quasi transitu vegetatur, & tanquam in facula ignis agitatus, accenditur, & ardentiore dilectione rapitur ad quietem suam cognita veritate. Hoc igitur consilio propositionem antegressam Psaltes, primùm quidem similibus illustrauit, deinde verò necessaria demõstratione cõfirmauit. E quibus similia versu secũdo & parte tertij, demonstratio verò reliquo versu tertio proponuntur.

Ioan. 3.

Epist. 119. ad Ianuarium.

Cùm autem propositionis illius duo membra habeantur ad communionem sanctorum spectantia: quorum vnum est communionem illam bonam esse; alterum, etiam iucundam esse: visum est Prophetæ vtrumque membrum suæ propositionis illustrare similitudine. Itaque duo similia certo consilio huc fuerunt allata: vnum, quo bonum communionis illius; alterum, quo iucunditas & suauitas eiusdem subii-

ceretur

ceretur quodammodo in oculis omnium. Verumtamen, quod in more apud Hebræos positum est, & vetustissimi quique auctores grauissimiq́ue ad commoditatem iuuandæ memoriæ obseruarunt, duarum partium illarum expositionem adhibet similibus ὕστερον πρότερον, primùm de amœnitate & suauitate communionis dicendo per similitudinem illius olei siue vnguenti vnctionis (vt in Lege appellatur) cuius confecturam Moses ex præcepto Dei priscam Ecclesiam docuerat Exodi 30. Deinde verò de bonitate communionis illius, assumpta pluuiæ & roris cælestis similitudine.

Potuerat quidem Spiritus Dei ad hoc argumentum alias probationes & illustrationes quoque adhibere; siue exemplis aliunde petitis, siue rationibus ex natura ductis, quæ apud auctores ferme innumeros de bono pacis frequentatæ sunt. Præterea ex iis bonis quæ de humana pace prædicantur, poterat secundùm quandam analogiam, quæ à temporalibus ad æterna obseruatur plurimùm, excellentiam fructuum ex diuina illa Ecclesiæ pace nascentium ostendere. Sed commodius visum est Prophetæ, ex re præsente (vt ita dicamus) similitudines assumere ad argumenti huius declarationem, quàm longè eas arcessere: & prout in prisca Ecclesia Iudæorũ agebat, ita rebus quæ ante oculos vel minimi cuiusque versabantur in Ecclesia illa, vti commodissimè ad illustrationem

nem bonorum quæ Deus in Ecclesiam confert colentem pacis.

Horum autem similium duo sunt genera: prius enim Ecclesiæ illius singulare est, sumptum ab instituto diuinæ gratiæ; posterius cómune est, à naturæ ordine: vt hac ratione omnes pij sentiant, & videant etiam ignorantes Dei, quæ bona sint expectanda à Domino, si homines pacem coluerint: cùm & per gratiam Deus testatam fecerit voluntatem suam Ecclesiæ suæ, & per naturam aliquē voluntatis istius sensum omnibus sit impertitus. Prius simile ab instituto Dei & obseruatione ecclesiastica sumptum, continetur secundo versu, in quo Propheta amœnitatem illius cõmunionis sanctorum comparat vnguento illi præstantissimo atque suauissimo, quo summus sacerdos olim ex lege delibutus est: posterius in parte priore versus 3.

In priore autem simili hic ordo tenendus est, vt primùm intelligamus partes illius, deinde verò accommodationem illarum partium ad hoc argumentum quod agitur. In simili tria distinctè obseruantur: primùm, quid sit quod habet cum illa amœnitate spiritali similitúdinem analogicè: Secundò, quis sit ad quem res illa perueniebat instituto Dei; Tertiò, qui vsus & modus istarum rerum ex præscripto Dei. Quid sit, Propheta explicat dicens de *vnguento* vel *oleo optimo*, præstantissimoque; ad quem per-

pertineat, exponit iniecto *Aharonis* nomine & partium illius. Qui vsus & modus, demonstrat, cùm superfundi natrat atque *descendere*.

De vnguento non est cur dicamus multis: tum quia satis expressit Moses quæ fuerit illius ratio, tum quia nostris temporibus, vel potiùs temporum plenitudini non expedit, vt de ea re magnopere laboremus: neque verò est huius instituti. *Exod.* 30.

De persona cui hoc vnguentum adhibebatur, ex verbis Prophetæ constat: qui non Leuitam quenquam simpliciter, non sacerdotem, sed Aharonem dicit nominatim; id est, sacerdotem illum summum, principem sacerdotum, cuius vnctio Leuitici 8. disertè à Mose perscripta est. Etsi eo in loco de vnctione & consecratione non Aharonis solius legitur, sed etiam reliquorum sacerdotum, qui tum auctoritate Dei in ministerio sacro instituti sunt: nempe quia totus ordo prima illa actione simul fuerat consecrandus Domino, tum eorum qui aderant, tum posteritatis, quæ ab ipsis erat ventura, nomine, & successura in idem ministeriũ. Nam eorum posteri nusquam leguntur fuisse vncti: ac propterea summo sacerdoti specialis est hæc appellatio diuinitus attributa, quòd sacerdos vnctus est. Sed cùm Aharonis nomen fuit hoc loco positum, exempli causa positũ est: pro eo quod est, summus sacerdos ordinarius, quo in ordine princeps fuit Aharon. Est igitur synecdochicũ, *Leu.* 4. & *Le.* 16 & *Num.* 35.

ronis nomé pro ſacerdotibus ſummis, aut quò-uis de numero illorum vſurpari. Vſus verò & modus applicationis; ſecundùm quem vnguento vngebatur ſacerdos vnctus, demõſtratur illis vocibus, quòd vnguentum *ſuperfundebatur capiti*, quòd *deſcendebat ſuper barbam*, & inde *ad oram vſque veſtimentorum illius*. atque hæc de ſimili in præſentia ſatis. Iã de re, quam Propheta hoc ſimili adumbratam voluit, videamus.

In hac eaſdem partes opus eſt obſeruari. Vnguento illi *optimo*, id eſt, præſtantiſſimo atque ſuauiſſimo reſpondet vnctio ſpiritualis Dei: id eſt, donorum omniũ ſuauiſſima & amœniſſima communicatio, qua Deus perfundit (vt ita loquamur) eos qui communionem ſanctorum in vnitate Spiritus, & charitate vera, ac pace coluerint. Et certè quæcunque ad commendationem priſci illius vnguenti adferri põſſunt, cùm nihil fuerit niſi ſpiritalium diuinorumq. chariſmatum typus & vmbraculum, ea multò magis de veritate, quã adumbrauit, neceſſe eſt prædicari. Dicitur *vnguentum*, idque præſtantiſſimum: diuinæ igitur benedictiones ſpirituali modo, adeoque diuino, illud ſunt quod iſtud vnguentum modo corporali prædicatur eſſe. Cùm autem dicatur primùm quidem *vnguentum* cõmuni nomine, deinde verò κατ' ἐξοχὴν, vt ab aliis vnguentis diſcerni queat, *optimum* ac præſtantiſſimum appelletur, rectè ex iis appellationibus conficitur, benedictiones Dei, ſi in ipſis

ipsis considerẽtur, vnguenta esse vnguentorum omniũ præstantissima: cætera omnia, si ab vnguentis illis Dei separaueris, aut inodora, aut graueolentia dici oportere.

Quò indignior est illorum hominum proteruia, qui documentis naturæ, scripturæq; omnibus modis excitati, non possunt ex veritate animaduertere, quàm sint ipsi putidi, putidaque omnia, aut certè inodora, quibus solent adhærescere, vt saxis ostrea, donec vnguento diuinæ manus perfundantur. In primis autem incredibilis est tenacissimæ illius naturæ obfirmatio in iis quos regenuit Deus semine incorrupto verbi, aut admouit ad aliquam mysterij tanti conscientiam: quòd testes effecti, ac non solùm conscij maximæ illius præstantiæ, quam habet vnguentum benedictionum Dei, tamẽ aut non afficiuntur conscientia illius, aut affecti nõ possunt eò vsque assurgere, vt omnem præstantiam in illo solùm diuino vnguento benedictionum Dei spiritalium in Christo positam adiungant sibi, eamque sepositis aliis rebus omnibus teneant constantissimè. De re diximus: Iam de persona videamus, vel potiùs de corpore, cui tanquam obiecto vnguentum illud præstantissimum applicatur à Domino.

Nominatur hoc loco *Aharon*: nominatur autem vt persona quidem; sed velut corpus considerandum est in hac personæ appellatione; quemadmodum illa partiũ quarundam enu-

meratio, quæ hoc loco ponitur, demonstrat euidentissimè. Fuit autem Aharon, tanquam sacerdos summus, ex lege institutus, fuit (inquam) vario respectu typus Christi & Ecclesiæ. Nam quisquis mediator est, & inter duas diuersas & differentes partes intercedit, is apud vnum agit personam alterius. Atque hunc in modum Christus defungens τὰ πρὸς τὸν θεὸν, id est, partes apud Deum Patrem nostro nomine obeundas, personam gessit Ecclesiæ: cùm verò defungeretur τὰ πρὸς ἡμᾶς, id est, partes apud nos Dei patris nomine perficiendas, personam gessit Dei patris, cuius est imago, sermo, & sapientia æterna. Sic Aharon, cùm de rebus agitur apud Deum obeundis aut percipiendis ab eo, corpus Ecclesiæ corpore suo (vt ita dicamus) adumbrauit: cùm verò de rebus apud nos & erga nos defungendis auctoritate Dei, repræsentauit Deum, pro quo legatus erat in Ecclesia ipsius: ad vtrumque verò speciatim gessit personam Christi, id est, vncti illius summi sacerdotis nostri in æternum. Hîc autem agitur quidem de rebus quas Deus in Ecclesiam, vt omnis boni principium, præstiterat, & in Aharonem ipsum, velut institutum Ecclesiæ nomine; sed quas Ecclesia tamen occupare sanctè tenebatur coram Deo & Angelis eius. Propterea hoc loco necesse est, vt nomine Aharonis figurari Ecclesiam intelligamus, fideli obsequio suo sistentem sese coram Domino, & exercentem

palàm

241

palàm dona vnctionis eius: quemadmodum totam Ecclesiam Christianam in antecedentem Psalmum ostendimus non alia ratione Ecclesiam esse, quàm singulari illa relatione ipsius & ordinatione ad Deum, qua ordinatione fit vnctionis illius salutaris particeps, ex qua procedit in singulos omnimoda benedictio.

Sed quia benedictionum Dei in Ecclesiam ipsius ratio est huiusmodi, vt non solùm communiter cõporì, sed etiam singulariter in singulas partes tribuantur: propterea optimè Propheta hoc loco ordinẽ etiam partium ad commoditatem benedictionũ Dei & cõmunicationem demonstrandam persecutus est. Partium autẽ in homine aliæ sunt innatæ, aliæ adiunctæ: Quæ innatę, aut sunt necessariæ de natura illius, vt caput; aut non necessariæ, sed de ornamento naturali illius, vt barba est. Quæ adiunctæ, foris adueniunt ad commoditatem illius, vt vestimenta sunt: quæ Deus homini sanctificauit ad vsum ipsius, ex quo peccati conscientia erubuit miser, & pudefactus est nuditate sua. Atque hæ quoque partes secundùm quandam analogiam obseruantur in Ecclesia Dei, vt eo sit illustrior multiformis illa Dei sapientia, quam in Ecclesia sua coram imperiis & potestatibus explicauit. Ordo est membrorũ in Ecclesia Dei; alius superiorum, alius inferiorum; item alius pertinentiũ ad necessitatem, alius ad ornatum & decus illius; vt Apostolus ad Corinthios do- 1.Cor.12.

cet. ordo est præterea rerum quæ commodè ad vsum Ecclesiæ adhibentur: quo in numero ij sunt de quibus in præcedentem Psalmum dicebamus; qui non sunt quidem de Ecclesia ipsi, sed tamen Ecclesiæ non incōmodant, quin potius eam circumuestiunt commodè ad gloriam Dei. Propterea enim fratres ab amantibus Ecclesiæ ibi distincti sunt, quia aliud est domesticum esse, aliud vicinum bonum, aut certè minimè malum. In hac igitur persona ad quam pertinet vnctionis diuinæ communicatio, tria hæc optimè fuerunt distincta: corpus vel vniuersitas Ecclesiæ; singula membra eius, etiam quæ non ita sunt ad rationem Ecclesiæ necessaria; & quæ foris ei adiuncta sunt.

Restat nunc locus tertius, de vsu & applicatione (vt vocant) diuini illius vnguenti ad corpus hoc quod modò circumscripsimus. Eam applicationē Propheta fieri à Deo, velut principio omnis boni (quod antè diximus) ordine & modo conuenientissimo demonstrat, seruato decoro similitudinis: cùm ait primùm quidem *superfundi*, posteaque superfusum *descendere*; deinde verò ordinem partium distinctè obseruat, dicens *superfundi capiti, inde in barbam descendere, ex ea deferri ad oram vestimentorum vsque.*

Sensus igitur est, neminem hominem in Ecclesia esse, qui suauissimā illam εὐωδίαν vel bonam fragrantiam Christi à Deo Patre in Christo non percipiat: sed vnumquemque suo ordine &

ne & loco pro demenſo donationum eius: neq. tantùm ſuauiſſimum illum amœniſſimumque odorem ad germana Eccleſiæ membra pertinere, verumetiam ad vicinos omnes, qui modò nares ſuas (vt ita dicamus) malitiosè non compreſſerint,& odoramenta illa Spiritus Dei, quibus Eccleſia perfunditur & perfundit, refugerint. perfunditur enim à Deo cælitus: perfundit autem in terris ſecundùm Deum eos omnes, quibus datum eſt Eccleſiam obſeruare, & Spiritui Dei inhabitanti ipſam minimè obſiſtere. Quapropter ad iuſtam huius ſimilitudinis intelligentiam optimè diſtingui ordinem illum neceſſe eſt, ſecundùm quem Propheta cauſam & effecta amœnitatis ſuauitatisq. iſtius in Eccleſia diſtingui voluit. cauſa Deus eſt Eccleſiam perfundens, & quidem actione adeò gratioſa, vt ſingula membra à capite ad calcem & oras ipſas veſtimentorum imbuat odoramento ſalutari ſuo. Effecta verò ſunt hæc tria: primum, quòd nihil eſt in Eccleſia, nihil Eccleſiæ, ne adiunctum quidem ipſi, quod in ſe redditum non ſit odoratum benedictione Dei. Secundũ, quòd hanc ſuauitatem ſiue εὐωδίαν, quæ in nobis eſt, alij aliis teſtatam facimus, & communicamus inter nos pro modulo donationis Chriſti. Tertium, quòd etiam exteros ab Eccleſia, quibus ſpectaculum facti ſumus, afficimus odoratiſſimis illis veſtigiis quæ in nobis impreſſit Deus.

Atque hoc quidem in primis ad eos pertinet,

& obstringit eos vehementissimè, qui tanquam Aharon ad sacrum ministerium vocati sunt. Hi
2. Cor. 2. enim sedulò operam dare debent, vt cum Apostolo dicant ex veritate: Gratia Deo, qui omni tempore triumphum facit nobis in Christo, & manifestat per nos odorem cognitionis sui in omni loco. Sed nullum est tam exiguum membrum, cui pro suo modulo hæc quoq. prouincia diffundendæ illius εὐωδίας non sit demandata. Quid enim? annō omnes etiā minimi in regno cælorū odoramento illo Dei in Ecclesia perfusi sunt? si sunt, annon odoré illum in Ecclesia perceptū in eadem opus est exhiberi? annon odore illo aërem circumstantem sic impleri, vt exteri sentiant nos in Christo odoratos esse? quàm ridiculum est, si quis odoramentum habere velit, & odorem manibus comprimere? Christianus quisquis appellatur, aut odoramentū factus est in Christo, & odori est aliis; aut si odori non est; iam non est odoramentum Christi: hæc suauitas nō potest magis comprimi, quàm suauissimorum odoramentorum odor, quin ad eos dimanet qui circumstant nos. Ecclesia præstantissima est vnguentaria; singuli in Ecclesia sunt narthecia pretiosissima, si ad conditionē suam benè aspexerint. Hæc vnguenta, hæc odoramenta cur dissimulemus? cur non colamus?
Eccles. 10. cur muscis iniectis (vt Sapiens in Ecclesiaste loquitur) corrumpamus? Cur disperdamus, proiectis huc illuc & proculcatis aromatis quæ

ad

ad confectionem eorum sunt opus? Etenim (vt Propheta inquit) bonum & amœnum est habitare fratres etiam vnà: in hac coniunctione sita est amœnitas: ex hac cohabitatione ac veluti confusione & contemperatione aromatum exurgit illud spiritale vnguentũ optimum, quod Deus olim materiali figurabat, vt Dauidẽ habemus auctorẽ huius interpretationis. Ad huius vnguenti cõstitutionem vsqueadeò secundùm Deum communio illa sanctorum & συγκρασία necessaria est, vt insipidum, & inodorum, ac potius fœtidũ sit, quidquid in ista communione minimè continetur. Totum odoramentum est Christi, ex quo solo & in quo odorata est communio nostra, prout in Cantico Canticorum docemur passim. huius odoramenti ea natura est, vt tanquam oleum stillet per totum Ecclesiæ corpus à capite ad calces illius. qui in hac cõmunione Christi versari cupit, eum in communione Ecclesiæ sese opus est cõtinere, quam præcedente Psalmo ex Dauide cognouimus, & membris sibi adunatis in Christo constanter adhærere. Solus Christus seorsim odoratus est, atque adeò odoramentũ ipsum: nemo nostrũm sine Christo & sine fratribus esse odoratus potest: sine Christo, quia odoramento est, & nos in eo bona fragrantia sumus coram Domino: sine fratribus, quia corpus simul totum, nõ autem fastuosum, confidens, aut fastidiosum membrum seorsim perfunditur odore Christi.

Omnino perfectionem amœnitatis huius instituit Deus: amœnitatē facit odoramentorum communio, communionem charitas, quæ perfectionis vinculum à Paulo dicitur: pax necessarium est charitatis instrumentum.

Quid ergo putamus, miseri? quid fingimus, cùm tanto supercilio alij alios quasi furcilla extrudimus, & censoriam quandam virgulam in hos, in illos promiscuè adhibemus, tanquam si nobis solùm esset iudicij nasus; aut Christus hanc facultatem cessisset nobis, qua ad libidinem animi nostri abutamur? Id sanè faciant Satanæ stabularij: at oues Christi non decet, pastores minimè. Quin potiùs Christo cedimus, nos & illos in communionem corporis & Spiritus sui gratiosissimè adhibenti? Quin potiùs odores amœnissimos ab illo in nos deriuantem manū ipsius animaduertimus? quin potiùs vnguento illo odoratissimo fratres communiter nobiscum sentimus delibutos? quin potiùs etiam amicos ad participationē suauissimi eiusdem odoris ab illo capite in corpus vnum adscitum iri confidimus? quin potiùs & continendis iis qui iam vocati sunt, & vocandis qui absunt, damus operam diligentissimè; ab omni fœtore abstinentes, quo crepant animi nostri, & omnem suauissimum odorem illis exhibentes, qui ad Christum & ad nos per Christum vnà perducantur? O beatum studium eorum, qui in hoc pietatis officio consumunt

sumunt operam! beatas mentes quæ de hoc studio cogitant! beatos homines, qui ita statuunt cum animis suis, eo se odoratiores fore, quo cõiunctiores cum Christo & suis fratribus futuri sunt! Contrà verò, quàm perditum & deploratũ studium, in quod funestis hisce temporibus plerique abripiuntur! qui se odoratos fore tum demũ arbitrantur, cùm alios à se abalienauerint, aut etiam sordibus & inquinamentis indignè commaculauerint. Ab improbo, inquiebat Dauid, prodeat improbitas: & tu, miser, itáne statuisti desipere, vt improbitatem vomens, & pacem oppugnans & odoramentum fratrum tuorum, meliorem te fore iudices? aut odoratiorem fore, cùm à fonte odorũ purissimo, à Christo ita discesseris? non cogitas sordes à te in proximum excreari non posse, quin prior sordeas? aut spargi venenum, quin venenatus sis? 1. Sam. 24.

Agite ergò, ô fratres dilectissimi, participes vnctionis illius pretiosæ Christi, & in communionem sanctissimi illius corporis vocati virtute Spiritus, amœnitatem istius cõmunionis nostræ recognoscite mecum, per Deum immortalem; in qua communione Deus vngit, Christus à Patre vnctus est, membra vnguntur in Christo, & minimi etiam quique in regno cælorum tanquam barbæ ipsius pili (si ita placet) odoramento perfunduntur, ipsæ denique vestes, & quicunque nos circumstant, afficiun-

tur

tur odoris istius amœnissimi conscientia. Ne sinamus ergo tanti illius, non priuati, sed catholici vel vniuersalis boni sensum, aut vsum, aut fructum nobis intercidere: ne sinamus nos ab eo excidere in quo odorati sumus: ne sinamus ab iis nos diuelli quibuscum odorati sumus, & odoratiores amplius efficimur, quo amplius ipsis in Christo adhæremus: odorem illic inuenimus, non intulimus; quem si oppugnemus in vllo, non illum, sed nosmet ipsos extrudimus. ne sinamus vel minimi cuiusquàm membri fastidium aut contemptum in animis nostris inualescere: ne sinamus denique vel eos ipsos qui foris sunt, fœtorem nostrum sentire ex contemptu sui: sed quem odorem gratiosè communicauit nobiscum Christus, eundem summo studio & alacritate cum illis cõmunicemus, si fieri potest, vt ille ipse odor noster tum in illis, qui in peccatis mortui ac fœtentes erãt, tum in nobis qui à morte & corruptione per Christum vindicati sumus, sit Deo glorioſus, & Ecclesiæ illius salutaris. Si fecerimus, bene est; officium fecerimus Christo & Ecclesiæ eius debitum: si non, iam non odor, sed fœtor futurus est, quem coram Deo, Ecclesia, & vniuerso mundo eructabimus: quod malum auertat Dominus. In eos homines optimè quadrabit illud sanctissimum Augustini dictum: Magnum istis hominibus consilium vindicandi est libido moriendi, non in corpore, sed in corde: vbi funus occultè

Epist. 127.

cultè prius suo putore sentitur, quàm mors nostrâ cogitatione prospicitur: hos antè fœtentes sentimus, quàm mortuos nouimus. Hoc verò non laudi cuiquam nostrûm, sed fraudi & perditioni acerbissimæ futurum est; si pro odore etiam exteros ad Christum pellecturo fœtorem edamus fugaturum.

3. *Vt ros Hermonis, vt qui descendit super montes Sionis. Nam illîc mandauit Iehoua benedictionem, vitam vsque in sæculum.*

AMOENITATEM, quam in communione sanctorum Dominus collocauit, cuius pij sunt apud se conscij, & quam exteri vtcunq. sentiunt virtute Dei, ex præcedente versu, Dauide teste, cognouimus. Cùm verò duobus nominibus sanctissimam illam communionem Propheta celebrauerit, amœnitatis & boni: iam nobis ratio illius boni, quod in Ecclesia & communione sanctorum in Christo deposuit Deus, videnda est. Videnda autem, non accumulatis & arcessitis hinc inde testimoniis; sed ex his ipsis Prophetæ verbis, quæ modò exscripsimus: vt certissimum hunc ductum secuti, de pace illa, quam nobis dedit Christus, continenda, seruanda, atque colenda indies magis ac magis cogitemus.

Bonum itaque communionis sanctorum, &

pacis

pacis in hac communione à Christo impetratæ, duobus modis hoc loco describitur: primùm quidem simili à naturæ ordine sumpto, vt antè dicebamus: deinde verò simplice enunciatione tum boni, tum causæ, vnde emanat bonum, & ad communionem sanctorum peruenit. Simile quo Propheta vtitur, quamuis specie duplex atque circumstantiâ, ratione tamen vnum est; cùm hoc modo dicit, *est vt ros Hermonis, vt qui descendit super montes Sionis.* Agitur enim de vno rore, cuius naturam siue rationem non variat subiecti loci, in quem decidit, constitutio. Propria autem boni illius descriptio ἀπολογικῶς à Psalte subiicitur, dicente verbis sequentibus, *Nam illic mandat Iehoua benedictionem, &c.*

Quòd autem Propheta ad rei eiusdem circumscriptionem duobus his similibus vtitur, id certo consilio ab ipso factum est: quod consilium antè exponi à nobis opus est, quàm ad explicationem argumenti ipsius veniamus. Hermonem montem, vel potiùs montana Hermonis, ex Scripturis cõstat pascuis illis Basanis fertilitate summa nobilibus esse imposita: montes verò Sionis in ipsa vrbe fuisse constat, & proximè vrbem Hierosolymorum, admodum siticulosos: adeò vt neminem, ne puerulum quidem, fugere posset cognitio cõmoditatis illius quæ proximo agro ex rore cælitus accidebat. His rebus animaduersis, facilè iam omnes visuri sunt, cur duo similia argumento eadem,

loco

loco differentia Propheta hoc loco adscripserit. Prius simile ad copiam amplissimam bonorum à Deo in Ecclesia ad extremos vsque terminos pertinentium respicit: posterius ad vim illam benedictionis Dei, qua loca etiam arentia & siticulosa (vnde Sion Hebræis appellatus est) ac fermè inepta edendis fructibus, efficiuntur ferendis illis habilia. Nunc de argumento ipso videamus.

In hoc itaque simili easdem partes sumus obseruaturi, quas in præcedente ostendimus. Primùm enim videndum quid sit quòd analogiè cum illo spiritali bono, de quo hîc sermo est, habere dicitur similitudinem: Secundò, ad quem ros ille perueniebat naturæ ordine (nam hoc exemplum naturale est) & ductu singulari Dei: Tertiò, qui vsus & modus istarum rerum ex instituto illius. Quid sit cum bono illo comparatum, palàm est, dicente Propheta, *est vt ros.* Quò perueniat, demonstratur verbis illis, *super montes Hermonis, & super montes* vel *montana Sionis.* Qui vsus & modus docetur eo quòd Propheta rorem ait *descendere.*

Ac rorem quidem naturà bonum esse nouerunt omnes, cùm fructus illius quotidie ab hominibus percipiantur amplissimi ad commoditatem præsentis vitæ. Quod autem de rore secundùm naturā à vulgo percipitur diciturque, idemà piis de bono spiritali dicitur percipiturq. in communione sanctorum: ab aliis propterea

non

non percipitur (vt antè dicebamus) quia percipiendis illis planè inepti sunt, donec regeniti fuerint à Domino.

Neque verò hîc necesse est, vt ampliſſimum illum latiſſimumq. campum bonorum ſpiritalium decurramus, & percenſeamus ſcriptis. Hæc bona, etiamſi chartis innumeris ſtatueremus perrexere, nemo tamen percepturus eſſet, niſi qui iam per Dei gratiam inſitum habeat in ſe & ingeneratum bonum. Hæc bona (inquã) omninò intus ſentiri præſtat, quàm perſcribi multis: quia ſingulis ſuo ordine ſua ſunt bona à Deo diſtributa virtute Spiritus, quæ in conſcientia leguntur digito Dei exarata, nõ autẽ in charta humaníſve tabulis. Sed quia vbique in Scripturis ſacris verbum Dei, quod potentia eſt eius ad ſalutem omni credenti, cum rore comparatum eſt, velut inſtrumentum vitæ æternæ à Deo in has terras demiſſum cælitùs, quo perinde animi noſtri irrorentur, humectentur, & inebrientur guſtu ac potu ſalutis æternæ, ac rore aluntur gramina atque recreantur: propterea non dubitamus, quin hoc etiam loco ad illud ſanctiſſimum verbũ vitæ æternæ Pſaltes reſpexerit, cùm bonum communionis ſanctorum deſcriberet. Nam Deus cùm omnis boni in natura auctor, rorem ſuum defundit in agros ad infirmæ huius naturæ ſuſtentationem, tum verò maximè, vt boni ſpiritualis in Eccleſia auctor, verbum ſuũ defundit in Eccleſiam ſuam,

Rom. 1.

1. Cor. 3.

ſuam, quæ aratio eſt vineaque ipſius, vt ſingula quæ in ea ſunt, roris illius cõmunicatione alantur, augeſcant, & ad iuſtam maturitatem virtute ipſius perducantur. Ac proinde quemadmodum rorem non ſolùm ſecundùm ſe, & reſpectu principij ſui nouimus eſſe bonum, verumetiam his rebus inferioribus bonum, id eſt, vtilem & neceſſarium, omnibusque modis commodum (id enim omnes compertimus vſu & experientia cõmuni) ita verbum quoque Domini cùm in ſe & ſecundùm principium ipſius ſpirituali modo bonũ eſſe docemur hoc loco, tum ſummè nobis vtile ac neceſſarium, qui ad aruum vineamque illius pertinemus.

Hanc autem hæreditatem Domini, in qua & nos ſumus, Propheta circumſcribit *montium Hermonis & Sionis* appellatione: quorum illi ad fines regionis ſanctæ Orientem & Aquilonem verſus pertinebant, hi velut ad vmbilicum eius: illi ad feraces valles agrosque irrigandos commodè impoſiti, hi arentes & ſiticuloſi vix ſubiectis vallibus alimentum ſubminiſtraturi eſſe videbantur. Quapropter his duabus appellationibus, tanquam ex re præſente, priſcam Eccleſiam inſtituit Dauid non eſſe curtam aut infirmam Dei manum, quin ab vno fine Chananææ ad alterũ potentiſſimè rorem ſuũ diffunderet, & peræquè loca arentia & ſiticuloſa ac pinguia arua & valles vberes fæcundaret. Quod autem hoc modo aſpectabili Deus Eccleſiæ in typo Chananææ teſtificatus eſt, idem nos ſine typo

habemus testimonium, & virtutem Dei experimur. Nam cõmunio hæc sanctorũ, ad quam vocati sumus, culta est hæreditas illius, quam Christus suo sanguine comparauit. In hoc aruo Christi hæreditario sunt herbæ, frutices, virgulta, arbusta, arbores; quas tum sua paterna manu colit Deus in Christo, tum Christus in sese insitas alit & conseruat diligentissimè, quas indesinenter temperato veluti cælo, rore, consimilibusque adjumentis curat & prouehit scientissimus fidelissimusq. agricola, & studiosissimus salutis nostræ: nec curat nos nimborum impetu, quo futurum esset vt corrumperemur præ tenuitate & infirmitate nostra; sed rore leniissimo, stillante commodissimè in nos, quamuis infirmissimos; vt paulatim singuli possimus in ipso augescere. Ita fit, vt omnes, velut rami in vnum truncum insiti atque in vnum corpus, vnum Spiritum, & vnam communionem vocati, tum bono à Deo erga nos collato vtamur ipsi salutariter, tum idem bonum ad gloriam ipsius & ad communionem sanctorum pro eo ac possumus ædificandam occupemus.

Propterea enim in ipso Cantici huius ingressu Psaltes dicebat, *Ecce*; vt nos testes illius boni in communione sanctorum appellaret: & moneret simul nos tam ab aliis spectari atque obseruari in communione hac, quàm alij à nobis obseruantur: ideoq. necessarium esse, vt totum illud bonum quod à Deo accepimus, tum quia bonum est, tum quia nobis ipsis bonum, in

ædifi-

248

ædificatione & salute occupemus aliena & nostra. Etenim cùm in terris nulla tam exigua herba sit, quæ rorem à Deo nõ sentiat, quæ non vtatur, & quæ non occupet eum ad testificationem gloriæ Deo auctori omnis boni tribuendæ: indignissimum illud est, si nos tam multis à natura bonis instructi, & aucti gratia copiosa atque infinita segnescamus in officio hoc, & Deo palàm proclamante, *Ecce*, & Angelis hominibusq. in Ecclesia, extráque Ecclesiam spectantibus, non demus operam, vt bonum hoc à Deo collatum ad Dei gloriam & communionem corporis, quod Christus sanguine suo redemit, & in quo sumus ipsi, vicissim referamus. Enimuerò cur segnescamus, aut aliud agamus in hoc opere sanctissimo, quod Deus nobis imperat Prophetæ verbis? Deus non segnescit benefaciendo, dat omnibus, nemini exprobrat, suppeditat omnia, suggerit commodè velut rorem herbæ, idque non semel, sed indesinenter stillantibus è cælo benedictionibus eius. Quid est, siue in nobis, siue extra nos, quod ab officio hoc sanctissimo nos auocare possit, cùm Deus aduocat, & omnia quæ sunt opus ad hoc officium nostrum sapientissimè, commodissimè, & vtilitate summa communicat? Si alienũ vitium offensasq. esse nobis impedimento querimur, quid nos vulneramus alieno vulnere? quid cadimus in alieno casu? quid aliena macula insani maculamur? alienum malum curemus potiùs, quàm vt participemus: malũ non curatur ma-

lo. At bonum noſtrum nunquam omittamus, aut illius vtendi commoditatem ſinamus eripi è manibus noſtris. Sin autem vitium à nobis eſt; an ergo putamus idem etiam foras effundi oportere? annon præſtaret intus ſuffocari, quàm ad alios impotētia animi noſtri aut imprudentia dimanare? Euellendum, exſtirpandum malum, non propagandū eſt. id inſita communio poſtulat, vt bonis cōmunicemus inter nos, non malis. hæc enim vbi ſunt, atq. adeò vbicunque, quumprimū naſcūtur, præſtat extingui & quaſi ſuffocari: bona verò cùm in nobis ipſis, tum in aliis ſemper in cōmunione ſanctorū procurari.

Atque hoc officium eo ſtudioſiùs fieri à nobis neceſſe eſt, quo ampliùs procliuē eſſe Deum animaduertimus ad beneficiorū ſuorum communicationem. Nam vt rorem videmus deſcendere; nec ſemel deſcendere, ſed ſubinde; nec vno in loco, ſed in tota aratione Domini; nec fruſtra, ſed effectu certiſſimo: ita etiam de rore illo bonorum ſpiritualium iudicium nos oportet facere. ſemper decidit ros ille beneficiorum Dei, deſcendens commodiſſimè in omni tempore & loco, coniunctiſſimus diuina efficacitate, quemadmodum olim per Prophetam Deus pronunciauerat. Verùm vt amor deſcendit magis à parentibus in liberos, quàm aſcendit retrò, ita hæc efficacitas. Non enim aſſurgit à nobis ad Deum vſque, vt capiat fructum de nobis: ſed in communione ſanctorum tota eſt à nobis occupanda; vt filij ſimus patris

Eſaiæ 55.

illius

illius nostri cælestis qui facit vt sol suus exoriatur super malos & bonos, & pluit super iustos ac iniustos, non vlla dignitate aut virtute nostra adductus, sed sola benignitate & munificentia sua. quid enim terra ad rorem supernè obtinendum facit? Deus idem auctor est & faciendi & demittendi roris: eum non terra meretur; sed largitur gratia, qua naturæ ordinem constituit Deus. Vt itaq. nec Hermon, nec Sion fecerunt quidquam ad habendum rorem; ita etiam de nobis profiteamur coram Domino necesse est. Descendit amor infinitus illius ad nos vehementissimè; at non vicissim ad illum ascendit pusillus noster: efficit ille amor & rorem benedictionum & effecta singula ex rore illo procedentia. Nos igitur, qui tam gratiosa benignitate patris cælestis nostri in cõmunione sanctorum participes efficimur roris cælestis illius; quo studio, qua contentione tenemur laborare, obsecro, vt istas benedictiones Dei refundamus, & gratum animum nostrum omni officio ac potiùs pietate Deo testatũ faciamus? Mat. 5.

At nõ refundit terra, nec rependit cælo, à quo perfusa est. bene est: Nam eadem quoque ratione res à se acceptas per nos Deus refundi postulat. Nec terra refundit cælo, nec nos Domino refundimus; sed cùm terra refundat creatis rebus aliis, in quarum commodum fructus ipsius instituti sunt, ac proinde hominibus ipsis sit parens & altrix benefica; vtrumque nobis tenendum est; nec posse nos Deo beneficia ac-

cepta refundere, vt terra cælo non potest: nec posse nos non refundere, vel potiùs profundere in eos tanquã vicarios, quibus destinauit Deus omnes fructus à nobis prodituros. Proinde vt terra animantibus, ac præsertim humano generi, fœcunda est; ita nos fœcundari necesse est humanæ societatis vniuersæ, & maximè Ecclesiæ bono. De hoc bonorum diuinorũ vsu dies & noctes oportet cogitemus, in hoc laboremus, hoc vnum agamus coram Domino, denique toti in hoc simus: cùm Dominum illum, qui solus est ἀυταρκέσατος, in hoc totum esse videamus, vt communioni sanctorum benedicat, & per nos etiam, quoscunque honore isto dignatur, quotiescunque fieri potest, benefaciat.

Ad hunc finem nos prouocaturus vehementiùs Psaltes, simpliciter exponit quæ duobus antegressis illis similibus ad institutionem nostram pronunciauerat, altera parte huius versus dicens; *Nam illic mandat Iehoua, &c.* Cùm enim verba illa adhibet ἀιπολογικῶς, perinde est atque si diceret: Optimo consilio & ex veritate, se bonum ad communionem sanctorum pertinens cum rore cœlitùs demisso comparauisse. Nam certissimam esse analogiam inter opera naturæ & gratiæ, corporalia & spiritalia; visibilia & inuisibilia, temporalia & æterna Dei. Etenim rorem à Deo esse, & amandari ab eo ad res creatas, præsertim verò ad hæreditatẽ suorum: & consimiliter bonũ illud quod de communione sanctorũ prædicatur, & ab eo esse, &

ab eodem amandari, & ſpeciatim cõmunicari cum Eccleſia ipſius, in qua eſt illa communio ſanctorum, de cuius cauſa laboramus. Hæc ſumma ſententia eſt ſermonum, quibus Propheta in fine huius Pſalmi vtitur.

In hac autẽ propria enunciatione illius, quatuor diſtinctè ponũtur iſta, de quibus iam antè ex parte diximus: auctor, obiectum, modus, & ſpecies actionis illius ſiue bonorum ſpiritalium in Chriſto Ieſu. Auctor eſt *Iehoua*: obiectũ, Eccleſia & communio ſanctorum in illa: modus, mandatum ſeu verbum ipſius: ſpecies, benedictio eius & vita æterna.

Auctorem Iehouam eſſe natura & Scriptura docent euidentiſſimè: natura quidẽ, auctorem eſſe omnis naturalis boni; quanto magis illius quo natura quàm longiſſimè ſuperatur? Scriptura verò auctorem eſſe omnis ſupernaturalis boni: quandoquidẽ nemo res creatas ſupra naturam poteſt euehere atq. tranſmittere, quàm qui ſupra naturã eſt. Vtrumq. appellatione *Iehouæ* oſtenditur, qua Hebræi ſolùm ſignificant verum & viuentem Deum, vt qui eſt à ſe, in ſe, per ſe, & propter ſe; & à quo, in quo, per quem, & propter quem ſunt omnia quæ ſunt, quæque futura ſunt; denique à quo facta ſunt omnia, & ſine quo factũ eſt nihil quod factũ eſt: quibus verbis Ioannes diuinitatem Chriſti affirmauit. *Ioan. 1.*

Hic verò ſummus & ſummè reuerendus auctor etſi res omnes creatas colit & curat arbitratu ſuo, tamen obiectum illud ſecreuit à reli-

quis creatis rebus, quod Ecclesiam appellamus, vt in ea omnes vires effectaq. suæ illius gratiæ per infinitam dilectionẽ suam in Christo exereret. Hoc autem corpus est quidẽ ex hominibus, atq. etiam (si ita placet) Angelis constitutum; sed alium non habet quem Græci vocant πρόπον ὑπάρξεως, id est existendi modũ in forma & esse suo (vt loquuntur) quàm illũ ipsum quem confitemur in symbolo Apostolorũ, dicentes; Credo communionem sanctorũ: communionem, inquam (vt præcedente Psalmo ostendimus) primùm quidem cum Deo nostro, deinde verò inter nos, prout in Christo vnũ corpus & vnus spiritus effecti sumus. *Illic* ergo, id est, in illa Ecclesia illaq. communione sanctorum, quam hæreditatem sibi in Christo per gratiam æternam adsciuit Pater, obiectum diuinæ gratiæ & misericordiæ oportet recognoscamus: neq. solùm vt cõmunio spiritualis est, quã cõmunionem habẽt Angeli & Spiritus iustorum consecratorum in cælis; verumetiam prout hîc in terris haberi potest, spiritualis & corporalis, interna externaq. secundùm ordinẽ & relationẽ internam, externamque, à Deo sancitam in verbo ipsius. *Illic* ergo, vbi Ecclesia est, vbi communio sanctorũ fratrũ vnà habitantium; vbi Christus communionis illius fundamentũ inexpugnabile; vbi Christiani huic fundamento impositi per verbum, quod Prophetæ & Apostoli tradiderunt; vbi à nobis quidẽ imperfectiones quàm plurimæ, mentes dissentientes, animi diuersi,

conatus aduersi, opera ad impietatē & iniustitiam plus satis adspirātia infirmitate nostra; sed perfectio maxima in fundamēto & radice nostra: illic, inquam, thesaurus totus benedictionum Dei certissimè est depositus. Quo fit, vt quenquam hominem in hac cōmunione neque nouimus, neq. iudicamus secundùm carnem: nam vetera præterierūt, omnia noua facta sunt (vt antecedente Psalmo dicebamus) sed secundùm Christū agnoscimus, quamuis adhuc laboret grauissimè ex vitiositate sua qui in Christo & in hac communione est.

Modus harum rerū à Propheta vnico verbo ostenditur, cùm Iehouam *præcepisse* siue *mandasse* narrat. Si quis enim roget quem modū adhibeat Deus in præstandis actionibus suis, respondebimus ex Prophetæ verbis, Deum sine motu suo agere, & solo dicto siue mandato suo, id est, voluntate apud se conceptā actiones suas potentissimè efficere. Quòd si alias hoc modo efficit, certè multo magis eas quas sibi soli vindicat, & quarū gloriam cum nemine homine aut creatura vlla communicat. Huius generis autem sunt bona spiritualia, quæ ad Ecclesiam perueniunt cælitus, & immediatè à Deo perficiuntur in corpore Christi, quod est Ecclesia.

Accedit alterum insigne & perneccssarium, in hoc præsertim tempore, documentū: quòd nimirū omnia illa bona quæ Deus timentibus se præparauit, præcepto eius semel ita fuerunt constituta, vt nunquā quicquam eorum quæ in-

ſtituit Deus & præcepit volũtate ſua ineluctabili, ſit futurum irritum. Nam (vt ait Eſaias) Iehoua exercituum iniuit conſiliũ, & quis irritum faciat? & manum eius extentam quis auertat? Quòd ſi in hac miſera cõſtitutione noſtra æquè in nobis ac in aliis fratribus noſtris & ſeruis Domini noſtri Ieſu Chriſti interdũ quàm plurima animaduertimus abeſſe longiſſimè ab illa ratione quam ſalutari cõſilio ſuo cõſtituit Deus; immò etiã nõnullos qui ex cõſilio eius ad hanc communionẽ pertinent, indigniſſimè hanc ipſam communionẽ diſſuere, & atrociſſimè perrumpere: tamen non ad præſens illorũ factum, ſed ad æternum Dei conſiliũ atq. mandatũ gratiæ referre animos noſtros oportet cõſtantiſſimè; vt tũ ipſi de nobis infirmiſſimis vaſis ſpem concipiamus in Domino, tum etiã de aliis meliora ſperemus omnia: in quibus ſuperciliosè damnandis atq. expungendis partim facto ipſorum, partim q. ſtudiis & infirmitatibus plus æquo operam (proh dolor) conſumimus. Itaq. ſi hîc hominem malè agentem video, illic tamen Deum bene ordinantem contemplor in eadem communione ſanctorum, & illa ipſa mala quæ ab homine ſunt plenitudine infinita gratiæ obtegentem, vt extincto peccato ſeruetur homo ad vitam in die illo obtinendam. Atq. hic demùm circumfulget nos illa infinitas gratiæ & beneficentiæ diuinæ, cùm in homine miſero & peccatis dante operã miſerrimè animaduerto ſimul, tum fidem decreti illius & conſilij æterni, quod

Eſaie 14.

Deus

Deus proposuit in sese, tum hominis ἀνικανότητα, siue (vt ita dicamus) ineptitudinem. Nec mirum: quia solus Deus est qui nos aptos siue idoneos faciat ad participandam sortem sanctorum in luce, quemadmodū ad Colossenses scribebat Apostolus. Quapropter cùm nihil à nobis sit nisi malum nostrum, & quidquid boni est tum in nobis, tum in ipsa communione sanctorum, à Deo sit; restat vt de bonis illis ex Dauidis sermone cognoscamus. Coloss. 1.

Bonorum ergo quæ ad nos in communione sanctorum pertinent, & in quibus magis magisq. à Deo prouehimur, duo genera à Psalte posita sunt: cùm benedictionem Dei & vitam æternam nominat. Ac vita quidē æterna summus est terminus, vbi nos oportet conquiescere in præsentissima contemplatione & fructu gloriæ Dei, in quo cum Christo victuri sumus: benedictio verò vniuersè omnia bona comprehendit antecedentia, quibus Deus benedicit assiduè nobis, donec ad summā illam vitæ æternæ metam perfectè transmittamur. Hæc igitur bona sunt, quæ in communione sanctorum à Deo exponi fidelibus Propheta narrat: quorum hæc in cursu, illud in meta positum est, postquam benedictiones illas in vitæ huius decursu percepimus.

Harum autem benedictionū potentissimum caput inter cætera illud est, quod in symbolo fidei nostræ cum Apostolis & sanctis omnibus profitemur, nos credere remissionem peccatorum.

rum. Sic enim ostendimus nos, qui fide Christum prehendimus & iustitiam eius qua iustificati sumus coram Deo, non aliter viuere in Christo, quàm si nobis moriamur: mori autem nos nobis coram Domino, cùm peccatum nostrum remissione aboletur; viuere, cùm peccati nostri loco iustitia Christi viuētis in nobis sufficitur: quam iustitiam quisquis prehendit & conscius est eius apud se per fidem, is omnino vitam æternam adepturus est.

At quæ bona? amabo vos; quantopere expetenda? Benedictionem Dei & vitam æternam. benedictio enim Dei, quam hîc Propheta docet, non leuis benedictio est, sed omnes benedictiones quæ in rebus creatis possunt existere, omnino superans: Auctore, nam Deus auctor est, & non homo: Quantitate, si qua est infiniti cùm finito comparatio, nam omnis benedictio est in omnem plenitudinem, infinita in infinitum; non autem hæc aut illa, hac aut illa re seorsim: Modo; nam spiritualis est, ac non corporalis benedictio, proinde momētanea: Sede, nam benedictio est, in cælis excelsissima, non autem in terris abiectissima: Fundamentis materiaque, nam benedictio est in Christo, non autem in nobis à Deo deposita, vt certò sciamus neminem de iis quos Pater dederit in manum illius, perituru̇m: quæ omnia sanctissimè verbis paucissimis Apostolus complexus est, cùm ad Ephesios scriberet. Hac benedictione in vitam illam æternam perducimur infinito

Ioan. 10.

Ephes. 1.

bono

bono & amœnitate præditam cõstantissimè, & gloriâ immutabili in Christo Iesu: cuius infinitas sic præcurrit mentes nostras, vt hic non possit comprehendi: sic rapit, vt illic comprehendenda sit, vbi comprehendere habere est.

Quapropter tempus est, vt iam à somno expergiscamur, & ab omnibus illis auocamentis carnis atque impedimentis foris obuenientibus animos nostros & cogitationes abducamus, vt toti in colenda hac sanctorum communione occupemur in Christo & in Ecclesia, alij aliis bene facientes, bene iudicantes, bene sperantes, bene cupientes, & ad omnem bonorũ quæ à Deo accepimus, communicationem secundùm Deum contendentes. Hoc Deus semper beneficus erga nos facto docet, sermone iubet, spiritu efficit: efficit autem in communione sanctorum, ad quam vocati sumus. Huic communioni benedictionem suam, vitamque æternam consilio instituit, promisit verbo, præstat opere; & in exoptatissimo illo die secundi aduentus Christi consummaturus est.

Videamus ergo, ô fratres in Christo dilectissimi, videamus obsecro, vt deinceps religioso studio ad benedictionem Dei vitamque æternam attendamus: ad Iehouam auctorem illius respiciamus: cõquiescamus in mãdato & beneplacito voluntatis eius ineluctabili: in Ecclesia & communione sanctorum hos thesauros gratiæ depositos in dies recolamus: rorem & culturã Domini quàm fidelissimè agnoscamus in

corpore

corpore Ecclesiæ & membris singulis illius, abdicata omni animorum perturbatione quæ nos occæcat indignissimè: odoremur optimam illam fragrantiam Christi odoremque suauissimum ad membra singula in Ecclesia permeantem; neque persentiscendis priuatis fœtoribus infirmitatibusque hominum inuestigandis & consequendis incumbamus; quicquid ad communionem sanctorũ sarciendam, alendam, & continendã pertinet, quàm diligentissimè procuremus: deniq. quantum nobis cordi est quidquid boni, quidquid amœni in Ecclesia, in Christo, in gloria Dei est, id vnanimes in communione sanctorum, ad quam vocati sumus, procuremus; vt decurso hoc misero & laborioso stadio præsentis vitæ, in illa vita tandem conquiescamus, vbi quies sine interturbatione, gloria sine labe, & vita sine fine æternùm futura est, in Christo Iesu vnico Seruatore nostro.

Te autem, ô Deus & Pater miserationum, qui propter sanctissimũ filium dilectionis tuæ gratiosissimè misertus nostri voluisti nos in cõsortium pacis & gaudij spiritualis adducere, quod Ecclesiæ tuæ in eodem filio tuo æternùm præparauisti, supplex oro condones omnia peccata nostra, quia peccauimus in te; & mortificans carnem nostrã cum eius concupiscentiis, veram lætitiam illam spiritualem ex vera charitatis sanctæ conscientia proficiscentem cùm in me ipso, tum in omnibus nobis ingenieres, faciasque vt nunquam alij aliis inuideamus, aut impe-

impedimento simus, aut etiã labefactemus, aut deturbemus de cõmunione illa quam imperas, aut ordini tuo aduersemur, aut paci obsistamus, aut bonum & amœnitatem, quam in communione sanctorũ posuisti, interuertamus per malitiam, infirmitatem, imprudentiã, aut ignorationem nostram mente, animo, sermone, aut facto: sed potiùs quidquid bonum, sanctum, iustum, & cõueniens charitati est, illud virtute Spiritus tui acti cogitemus, studeamus, eloquamus, seruemus, faciamusq. ad gloriam tui nominis: da, ô cælestis Pater, vt te Iehouam cognoscamus, & domum tuã in te, quæ spelunca foret sine te; da, vt adeuntes domum tuam, & cõsistentes in ea, sanctissimo zelo agnoscamus, semperque lætemur de iis qui dicunt, & consilia capiunt de Ecclesia tua adeunda, studio gloriæ tuæ & salutis suæ: da, vt Ecclesia optimè cõstructa sit; & refecta labe illius, quæ hoc tempore amplissima est, coagmenta lapides viuos illius pariter: fac, vt omnes ascendant eò ad percipiendum testimonium verbi salutaris tui, & celebrationem nominis tui exercendam: effice, ô Deus ordinis, vt iustus ordo in misera Christianitate obtineat: vt qui rebus sacris præsunt, eas procurent sanctè, abiecta rerum aliarum omnium cogitatione, & adiecto animo ad salutem gregis illius, quem filius dilectus tuus sanguine pretioso suo comparauit; vt qui rebus ciuilibus & humanis præfecti sunt, suis partibus tum in res publicas sibi commissas, tum in

te, à

te, à quo omnis potestas est, fidelissimè perfungantur, tuóque ordini inseruiant: inde omnibus simul, præfectis & subditis, superioribus & inferioribus, verú studium pacis publicæ in societate humana & in Ecclesiastica sanctorum cõmunione persequendæ, tũ propter fratres & amicos omnes, tum propterea quòd hæc domus tua est, ô Deus, qui dignatus es Ecclesia capi, quamuis cæli cælorum non capiant te: da, vt bonum amœnitatemque communionis illius omnibus documentis naturæ & gratiæ discamus cognoscere, & rerum istarum comprehensione possimus omnia fugere, auersari, oppugnare, vincere, perrumpere, quæ illã cõmunionem sanctorum, bonumque & amœnitatem illius præripiunt Ecclesiæ tuæ. Attende, ô Deus, è cælo, & respice, & mandata tua consiliaque gratiosè de nobis ab æterno capta etiam atque etiam perfice; vt renunciantes omni malo, & amplexi benedictiones tuas hîc viuamus secundùm te, certaque fiducia & spe optatissimum illum diem expectemus, quo æternùm sumus victuri in te per Iesum Christum Dominum nostrum. Etiam atque etiam Amen.

FINIS.

1011215